CONCIONES EXPOSITIVAE EIVSdem Ioannis in tertium psalmum pœnitentialem coram regia maiestate. Anno do. 1520.

A. 

OMINE NE IN FVRORE TVO arguas me, neq; in ira tua corripias me. Secũdo pœnitẽtiali psalmo iam absoluto, quem pro uirili nostra uobis enarrauimus: simili se ratione tertius offert. Huic titulus est recordatio seu rememoratio Sabbati. Verũ quod et quale Sabbatum est, cuius fit ista rememoratio ? cuius cum luctu tam frequens recordatio suscipitur ? quisnam ita recordatur ? et quid sibi uult ista tam crebra recordatio ? Propheta uero Dauid qui uiam sibi præstruxerat et iam iter inierat ueræ certæq; pœnitentiæ, recta perducitur interim ad Sabbati recordationem. Audistis in psalmorum præcedentium expositione concionali Dauidis mœrorẽ et miseriam, audistis eum flentem, suspirantem, et gementem: sub persona cuius, unumquemq; uere pœnitentem intelligite. Fletus illius, luctus, et miseria magna fuit. At fœlix ille tamen, qui sic miser erat. Quod si non alij testes essent, testatur abunde dominus: beatos huiuscemodi lugentes sic in Euangelio pronũcians Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabũtur. Neq; simpliciter lugentes beatos affirmat: sed tantum qui peccata deflent ac lugent admissa. Rerum enim temporalium cuiusmodi sunt parentes, amici, forma, ualitudo, uires, diuitiæ, magistratus et honores, cæteræq; quas uel fortuna tribuit, uel corpus accipit amissionem oplorare seu lugere non admodum oportet. Quoniam uel affirmante Paulo Tristicia sæculi mortẽ operatnr: quæ uero secundũ deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Tristicia nimirum omnis, sicut et omne gaudium ex amore generatur. Si quando priuetur aliquis ea re quam amat, dolore afficitur et tristari cogitur: quantoq; maiore gaudio seu solatio potitur amici præ-

Marginal notes: Primus. uersus. — Titulus psalmi. — Math. 5. — 2. Cor. 7. — Expo. — Amor causa tristiciæ.

mici præſentia, colloquio, uel cōgreſſu:tanto grauiore triſtitia premitur, ſicubi rerum iſtarum copia ſiue facultas auferatur. Dum rerum terrenarum mundanæq́ proſperitatis iacturam facio: dum uxorem, liberos et cognatos abreptos aſpicio: triſtor, lugeo, experſq́ ſolacij omnis, mœrore conſumor. Idem ego quando dominum deum meum, quādo dominum IESVM CHRISTVM amitto ꝑ peccata; non doleo, non gemo, non lamentor. Qui fit, niſi ꝙ maiori mihi curæ ſint quæ mundi ſunt, q̄q́ quæ dei? Quorum familiaritate gaudeo ſocietateq́ fruor, niſi triſtis atq́ dolens carere non poſſum: in abſentia dei qui foret amiciſſimus, nō mœreo. Hic amor nimius et inordinatus ad res mundanas eouſq́ poteſt abire, ut in mortale peccatum recidat. Qualis autem amor, talis ex amore illo triſtitia naſcitur: e diuino bona, mala q̄ de mundano. Bona, peccatum exhorreſcit: mala, res ſolum temporarias reſpicit. Amor mundi triſtitiaq́ ſequax, finem habet triſtitiam extremam et mortem euiternā: et eiuſmodi triſtitia iuxta Apoſtolum ueriſſime mortem operatur, operatur peccatum mortale dum inordinate fiat. Sed amor dei peccatiq́ triſtitia, cor hominū acuit et inflāmat ad obſeruanda dei præcepta: facit ut tota mente, totis uiribus et omni conatu deum quæramus, ſuſcipiamus et teneamus: utq́ noſtram omnem operam illius honoribus īpendamus. Vnde fit ut dū peccati pœnitet, uirtꝰ et dei cultus arrideat: ut eiuſdē peccati contritio ſimplex, uera confeſſio, ſynceraq́ ſatiſfactio fiat. Et hæc triſtitia ſecundum mentem Apoſtoli in ſalutem ſtabilem pœnitentiam operatur: quia finem habet dei gloriam et cœleſte gaudium. Nemo uera pœnitudine ducitur aut dolore perfecte cōtritionis afficitur, quem non iſtius gaudij ſupernæq́ requiei memoria refocillet. Quare propheta diuino tactus amore, peccatiq́ horrore perculſus, dum pœnitendo dolet, dum luget atq́ gemit: interea futuri Sabbati reminiſcitur. Sed quid hoc Sabbati nomine deſignatur? Profecto Sabbatum dies ſeptimus eſt in quo quieuit deus ab opere ſuo, et requiem deſignat æternā quæ futura ſperatur, ſicut illic ſcriptū eſt Requieuit in die ſeptimo ab omni ope quod pa

Ibidem.

Ibidem.

Quid ſabbatum deſignet.

Gene. 2.

quod patrarat. Vnde colligimus Sabbatum, quietis et sanctita-
, tis nostræ diem esse: de quo præceptum agnoscimus Memento ut Exodi. 20.
, diem Sabbati sanctifices. Deus huius Sabbati meminisse iubet, Expo.
et propheta rite meminit quando huic psalmo memoriæ seu recor-
dationis titulum ascripsit, atque unusquisque nostrum eius exemplo
recordari debet. Etsi semper honor habendus ipsi deo, nec usque ad
illius obliuionem recidendum: die tamen Sabbati, præcipuus et
peculiaris quidam honor exhibendus, quando spretis omnino ne-
gotijs sæcularibus, seruilibus officijs, et mundanis in uniuersū cu-
ris soli deo debemus inseruire, soli deo inhærere, solū adorare, con-
templari, amplecti: ad ipsum solum spiritu trahi, in ipsum figi, in
ipsum transitundi transformarique, solius eius recordari. Mentem
eo die nostram nihil occupabit quod non deū sesipiat, aut ad eius
cultum ac honorem pertineat. Quid hoc est inquis? Vt uitam
certe tuam introspicias, ut malam corrigas, et probam (quantilla
est) semper adaugeas: ut scelus ac flagitium radicitus extirpans,
B. animam ex omni parte purifices. Recordare quam ingratus in deum
qui te creauit, extitisti, qui perditum restituit, et ad salutem æter-
nam destinauit: dū tu præceptis eius obediens esse noluisti. Recor-
dare, recordare superbam hanc ingratitudinem erga deum, ingra-
titudinem in te tuam, qui te tam imprudenter ac impie retrahis a
tam clementi benignoque seruatore Recordare multiplicia dei bene-
ficia a quo quicquid habes accepisti preter uitium quo tu teipsum
corrupisti. Recordare quemadmodum ab hijs atque illis te muniat
et defendat infortunijs, ab omnibus malis et incōmodis: in quæ
permultos te fortasse multo meliores, cadere permittit. Recordare
multiformem animi tui malitiam, uariam lapidij cordis obstina-
tiā: et in lachrymas erumpe, in lachrimas oculos erige, plora, plan-
ge: sic tamen ut interea recorderis illius Sabbati, quod requiem in
fine sęculi futuram et gloriā denotat æternam Hoc nanque Sabba-
tum septima est ætas mundi quam recordari semper oportet, de
, qua scribitur Erit Sabbatū ex Sabbato. Prima certe ætas ab Adam Esai. 66.
ad Noe, altera ab ipso ad Abrahamū, ab Abrahamo ad Dauidem

tercia, quarta a Dauide ad transmigrationem Babylonis, a trāsmigratione ad CHRISTVM quinta, sexta sub CHRISTO ad finem mundi quādo requies adueniet. Nos autem iam sub Christo uiuimus tempus illud expectantes Nos enim sumus in quos (ut inquit Apostolus) fines sæculorum deuenerunt. De quo etiam Sabbato illud habet Erit dies una in atrijs tuis sup millia. Dies illa dies æterna est, quæ noctem non habet sed perpetuam claritatem. Iam in illa die non erit luctus neq; clamor sed nec ullus dolor, quia priora transierunt Non esurient neq; sitient qui ibi habitant, neq; cadet super illos sol neq; ullus ęstus: quoniā magnus qui in medio throni est reget eos et deducet eos ad uitæ fontes aquarum, et absterget omnem lachrymam ab oculis eorum. Hoc quidem Sabbatum, hanc diem, hanc requiem perpetuam summopere Dauid exoptans et solicite circumspiciens ne per peccata quæ commisit amitteret: hinc angitur illa meticulosa memoria peccatorum, illinc ista spe premiorum erigitur. Vermis nunq̄ moriens mentem male consciam excruciat, cogit in angustum, rodit, lædit, lacerat. Exurgentem, supernaq; contemplantem, beatissima recordatio recreat. Recordatio peccati uulnerat et mortificat, quem recordatio beatitudinis exhilarat et beatificat. Sed interim tanta sit compugnantia rationis et affectuum, tanta interioris hominis discussio, ut homo totus haudquaq̄ conquiescat: sed nunc timeat, mox speret: nunc gaudeat, mox indoleat: nunc per peccatum sibi metuat a pœna, qui per pœnitentiam mox ad premium aspiret.

Sic propheta cū peccata, reatus et offensas recordetur et extimeat: tum Sabbati recordatus, recordatus æternæ fœlicitatis: ad spem reuocatur, ad gaudium, quod dolori saltem intermisceat. Siquidem aqua etiam frigida sitienti placet, esurienti panis cibarius et uilis, nudo qualiscunq; uestis, quies et umbra grata fatigatis cum ferueat ęstas. Quale sopor fessis in gramine, quale per ęstum dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo: talis in ipsius pœnitentiæ laboribus animi tranquillitas, futuriq; gaudij rememoratio, quæ corporis etiam cruciatus sedat. Et Sabbatum istud, solatiū istud,

gaudiū

Marginal notes: 1. Cor. 10. — Psal. 83. — Apoca. 21. — Apoca. 7. — Quomodo propheta ad sabbatū aspirat. — Vergil.

gaudiū, et requiem propheta ob innumera peccata quæ commiſe-
rat amittere timens: ſeueriſſimumq; dei iudicium ualde formidās,
pœnas infernales et purgatorias exhorreſcens, timore ſummo per-
, culſus: erupit in hanc uocem Domine ne in furore tuo arguas me,
, neq; in ira tua corripias me. Dauid exemplar uere pœnitētiæ, cu-
piens alios omnes ad eandem allicere, cupiens ad pœnitentiam
pœnitētiæ comitem inuitare, quo ſuſtineant equanimiter quecūq;
contingant aduerſa, quecunq; ueniant incōmoda, qualiacunq; uel
deus infligat uel infligi permittat ſupplicia: quattuor ſūmatim in
hoc pſalmo proponit. Primo perſonam cuiuſq; ueri pœnitentis Que in hoc pſalmo tra-
induens, dei miſericordiam implorat. Inde peccatorum miſerias duntur.
deſcribens, enumerat. Tertio reſipiſcentiam atq; emendationem
ſui, pollicitatur. Poſtremo dei gratiam, conſolationem ſanctiſpi-
ritus, et perpetuam conſeruationem exorat: ut ſibi continua recte
ſanctæq; faciendi uoluntas aſſit. Quippe qui non ignorat ſed in
ſpiritu certiſſime preuidet poſt exitum huius calamitoſæ uitæ, fu-
turam multo miſerabiliorem, uel hijs qui purgatorijs expiādi, uel
qui ſunt infernis æternum ignibus adurendi: ſibi metuit, meritis
omnino diffidit, et tanq̄ lachrymis obortis, obnixe ſoli deo ſuppli-
, cat ut ab utriſq; liber euadat Domine ne in furore tuo arguas me,
, neq; in ira tua corripias me. Ne ſim quæſo de numero illorum in Timor dauid
C. quos tua ſentētia fulminabit, in quos tua uerba tonabunt, in quos de futuro iu-
ardor tui furoris euibrabit: non ſit intolerabilis manus in me tua, dicio et pen-
flagellum importabile non me caſtiget, utq; dicam aperte, ne me futuris.
quantumuis peccatis et ſceleribus illaqueatum æternæ mortis reū
peragas, ſententia damnationis ne me percellas, in iudicio ne dā-
, nes: neq; me corripias in ira tua, non me purgatorijs aſſerues ig-
nibus, non illic me corrigas ubi pœna q̄q̄ ad tempus, attamen tē-
poraneis omnibus in immenſum grauior extat. Ecce quomodo
propheta tremebundus orat ut neq; ſe damnādorum neq; purgā-
dorum numero dominus aſcribat: ſed ſi per cōmerita pœnam om-
nem euadere non oportuit, ſaltem in hoc orbe quam meretur infli-
gat. Attente ſoliciteq; precatur ut hic arguatur, ut hic increpetur,

X.3. ut hic

ut hic affligatur: hic usturis, sectionibus, et pūcturis reprimatur, hic tormētis inueterata consuetudo purgetur, hic corpus indomitum catoq; ferociens compedibus illigetur ut inposterum anima non illaqueetur, ut hic ea sibi pœna detur p quam anima corpore soluta illico in cœlum euehatur. Q si pœnitētissimus propheta, sanctus et secundum cor domini electus, ita sue parti timeat: quo magis est formidandum nobis, qui tam arcta longa q; cathena scelerum oneramur, uiciorum mole premimur, et nulla non labe peccatorum coinquinamur? Dauid homo, dauid cum sola Bersabea commisit adulterium, interfecit unius eius uirum gratia celandi criminis, et ut eandem duceret, superbia deliquit q in enumerando populo tam numeroso sacrificium deo debitum omiserit: at tu fornicator impudens, totos annos ubiq; libidinem effundis, tu adulter omnem etatem per aliena cubicula, per thoros externos accitas: nescio, nescio quot custodes amotos, quot maritos e medio sublatos appetis, ut puellis et uxoribus abutaris. Dauid quantūuis cereus in uicium flecti, quantumlibet laxatis habenis peccatū incurrit, non in eo tamen consenescere uoluit: sed resipuit, reflexit, et fructuosa se penitudine continuit: ubi tu nihil minus uis q̄ ueram pœnitentiam necessariam ad salutem: nihil illibentius audis, q̄ esse pœnitendum ut salueris: sic in peccato perseueras, sic in misera tua concupiscentia permanes, ut solam peccandi suauitatem respicias. Non recordaris tu quod Dauid semper animo ferebat; quosdam æterno, alios igne temporario cruciandos. Hos quantacunq; patiuntur interim, aliquādo fore saluos, ut Apostolus quoq; perdocet Salui fient, sic tamen quasi per ignem. Non aurum ab argento, argentum e cupro uel stāno, non cuprum e plumbo, non plumbum ex massa terrea purius aut lucidius excoquitur, non aliter lapis preciosus ex harena suscipitur et examinatur: q̄ ignis ille probabit peccatores et secernet a iustis, sicut psalmista testat̄ Probasti nos deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Ignis quattuor elementorum unum est, purgandi uirtutem habēs et illuminandi: purgat et emundat quicquid immittitur. Humidum et ui-

1. Corin. 3. Saluantur quidam igne.

Psal. 65.

Ignis proprietas.

dum et uiride lignum ignis uertit in carbones, e carbonibus cineres efficit, paulo crassiores atq; nigriores inijtio, mox subalbidos et puriores: sic et peccatorũ humiditas aut corruptio tam diu cremāda, donec ipsa deformitas ac nigredo uersa fuerit in albedinem et puritatem. Quid hic torpescis o peccator insipiens? quid iaces obliuiosus in ceno turpitudinũ? quid excusationem uanam et futilem apparas in peccatis? qui si te peccatis exoneres, et pœnitentiam quam debes adimpleas: nec ad interna truderis, nec ignibus purgatorijs asseruaris. Sed proh dolor o peccator, nihil minus q̃ horũ meminisse uideris: totũ diem in ludis, iocis, nugis et rebus uanis: qui totā noctē in choreis, saltationibus, esu, potu, in turpibus lasciuis et obscenis exercitijs: q uitā totam ĩ uoluptatibus, delicijs et carnalibus operibus atq; desyderijs absumis: qui carne totus immersus spiritui nihil impendis, non deo, non animæ saluti sed corpori, sed mũdo, sed diabolo totum tempus attribuis: non ieiunas, non oras, non alioqui diuinis operaris, sed uel cessas et dormitas, uel uoluptuosis solum rebus implicaris. Operatio pia fastidiũ ingenerat, et nimis longum arbitraris omne tempus quo uersaris in ede, uel in cultu dei contineris: nimium breue quo corpori seruis et uoluptatem exples, uix lectum fessus appetis dum mundi ludibria sectaris, diem nimis breuem, noctem iusto curtiorem esse iudicas, quibus libidinem explere queas: dies uix hora reputatur dum lucraris, ludis, dum nugaris et uoluptate perfrueris: horula uel diecula mensis aut annus etiam est in studio uirtutum atq; opere pietatis inuersanti. Tua pietas exilis est, tepida deuotio, tepidior oratio. Qz si quam præstiteris, breuis, frigida, segnis, demortua est et sine feruore spiritus. Horum te tedet, sacrificium et diuina nimis diuturna putas. Quid in causa est nisi q̧

D. te caro totum absorpserit: nihil in te spiritus inuenire possit? Vix semel per diem in mentem uenit dei creatoris, CHRISTI redemptoris et IESV seruatoris obliuisceris, uix hebdomada semel gloriæ cœlestis supplicij q; tartarei reminisseris, uix mense uel semel ulla tibi conscientiæ cura subit, uix intra annum peccata cōfiteris

Quomodo tē pus perit peccatoribus.

fiteris. Cũq; confeſſus utcũq; fueris, paruam interim aut reuera nullam pœnitentiam aſſumis, ſed nec iniunctam plene perficis: cum certum ſit inſufficientem et minus dignam iniunctam eſſe. Non improbo tamen q iniungatur parua: quia longe ſatius eſt et clementius ut paruam proſequens quæ reſtat expleas igne purgatorio, q̃ magnam contemnens aut negligenter omittens, mittaris in gehennam. Alterutrum omnino ſortiendum, ut uel hic peccata pœnitendo redimas et quicquid ultra ſupereſt alibi purgatione deleas: uel ſordidus peccator impenitens, ad pœnam trudaris æternam. Q̃ preciosũm itaq; remedium contritionis, q̃ magni ſaciendum pœnitentiæ pharmacum quo pœna temporanea commutatur æterna? Temporalis hæc pœna uel hic integre ſoluenda, uel igne purgatorio perimplenda. Q̃ ſi ſcires et attẽte cõſyderares quanta ſit differentia præſentis et futuræ pœnæ, temporis huius et purgatorie: quantãquantam, omnino neceſſariam hic aſſumeres, ut incertam futuræ grauitatem euaderes. Cæterum tu uir mollis, tu femella mollior, non uis genium defraudare tuum, non uis corpori cibi uel potus abũdantiam ſubducere, non uis macerare carnem aut extenuare, uon ieiunio uis aut inedia grauari: ſed et appetitum condimentis acuis atq; prouocas, ut dum animam miſerabiliter offendis, ſalutem etiam corporis in diſcrimen adducas: omnem abſtinentiæ facultatem quæ præſenti pœnitentiæ ſuffragari poteſt, excludis. Nihil iniquius q̃ eleemoſynarũ largitatẽ accipis, uociferantẽ pauperem tam egre fers ut abigas: non ueſtitu, non cibo, potu, nõ lecto, ſed nec unico nummulo releuas: ante pedes miſerrimis acceptos modis iacentes aſpectas neq; reſpicis: uides miſeros nec miſereſcis, ante fores auxilio conſilio q; deſtitutos interire ſinis, hanc pietatis partẽ penitus omittis. Hijs modis offenditur ipſe deus et offenſus auertitur: nec orationem qua placatur eius ira pati potes, uix breuem (uti diximus) ſuſtines, longam exhorres: ſi qua ſubeunda ueniat, quæ tota ſpiritualis eſſet fit carnalior: dum frigide, cum tedio, ſine feruore, preter debitam omnino reuerentiam utcunq; funditur: hebes, neruorum inanis et plane

Non eſt nimiũ difficilis iniũgẽda pœnitentia.

et plane mortua est. Quid referam q̃ sis iracundus et impatiens? Impatiens dolorum, impatiens uexationum, angustiarum, aduersitatum, et rerum omnium pro CHRISTI nomine tolerandarum. Iniuriarum es impatiens et offensarum, ultionis appetens et crudelis. Non es humanus, non comis aut affabilis, nõ es animo forti, neminem admittis qui quid ingratum aut non placens ostendat, qui mœstum quid aut triste referat: sin rettulerit, eijcit et tanq̃ conculcandus eliminatur. Quid referam q̃ superbus, inuidus, piger, auarus; q̃ libidinosus? Omnia tibi grata, fortunata, iocunda sunt et suauia. Et qualem interea tu pœnitentiam agis qua pœnam declinares æternam? qualem hic inceptas ut in igne purgatorio perimpleas? Hey timeo tibi, hey timeo quid tibi sit e-
, uenturum. Quid enim deniq; futurum expectas: cum nemo sic Hierony.
, gaudere possit in hoc sęculo, simul et regnare cum CHRISTO? Vallis hæc est miserię, tempus hoc lugendi: tu tamen quæ committis peccata non doles, non fles, non luges ea: immo quæ cõmisisti renouas, noua ueteribus accumulas, identidem peccas: et unica uociferatione seu paucis uerbis, unica pectoris tunsione, molestia dumtaxat una liberari putas a pœna futura? Laute uiuis, epularis splendide, uestiris gloriose, nihil non effeminate, nihil nõ turpiter, immoderate, cuncta delicate facis: cytharis, lyris, barbytis, organis, cymbalis, musicis omnibus ad molliciem irritaris, nec interea cor unq̃ in sanguinem aut oculus soluitur in aquam, non meres intus, neq; lachrymas foris ostendis. Futura tibi, futura subeunda est pœna, qui præsentem ita declinas. Tu es, tu es quem deuouerem igni purgatorio ut cui timeam ab æterno: cuperem te illic esse donec persolueris extremum quadrantem, donec omnem conscientiæ maculam absterseris, ut immaculatus illuc introeas, quo nihil coinquinatum ingreditur. Credis tecum non infœliciter actum si sic abierit. Verum oh q̃ ineptis qui non prælegis ut hic doleas, ut hic plangas, hic crucieris potius q̃ illi pœnæ reserueris, quam timentes sancti patres cum Augustino clamant Augus.
, Hic ure, hic seca ut ineternum parcas? Magna (inquit idem Augustinus)

gustinus) misericordia est, misericordiam in præsenti non conse-
qui. Magis horrebant ipsi pœnam qualemcunqꝫ futuram tam
purgatoriam q̃ infernam : q̃ ullam huius sæculi molestiam. Si sic
timuerint uiri sancti purgatorium illum ignem qui(si quid pecca-
rint)solam stipulam CHRISTI fundamento superstruxerunt,
peccata,solum mediocria perpetrarunt : quidni formidandum no-
bis qui fœnum pariter ac lignum superstruximus, hoc est qui gra-
uia peccata nefanda qꝫ et quasi infinita persæpe scelera cõmisimus?
Si per usturam ignis euasuri sint illi : nunquid ipsa decuplanda est,
immo centuplanda nobis? Igitur, igitur emendemus, emẽdem⁹
nosmetipsos et æquis animis hic supplicia ferentes, cum propheta
clamemus Domine ne in furore tuo arguas me, neqꝫ in ira tua,
corripias me. Propheta precatur idem quod in psalmo sexto pre-,
catus est, sed alio tendit. Illic peccata solum et miseriam suam in-
trospiciens horrore perculsus est, nesciens quid de se fieret:hic tanq̃
spe robustior animoqꝫ fortior, orans ut nec in furore condemnet,
nec imposterum ira corripiat : multa producit in medium quibus
moueatur deus, et a uindicta flectatur ad misericordiam: producit
incommoda, producit grauamina, molestias, afflictiones, aduer-
sitates et infortunia quæ passus erat in hoc sæculo, quo tanto faci-
lius euadat a futuris. De furore nimirum et ira plura diximus in
illo sexto psalmo,q̃ ut rursum eisdem citra tedium insistere ualea-
mus : nisi quatenus quæ sequntur tractabimus cum propheta,
qui causas suæ precationis ingeniose pieqꝫ prosequens ait.

.2.Vers⁹. QVONIAM SAGITTAE TVAE infixæ sunt mihi,et cõ- E.
firmasti super me manum tuam. Sagitta bellicum est instrumen-,
tum, iaculum illud quod arma pungendo penetrat, et armatũ eti-,
am euulnerat. Deus dum perforat aut cruciat animam seu corpus
hominis, sagittarij quidem instar habet : de cuius arcu sagittisqꝫ
Psal.7. scribit alibi propheta Arcum suum tetendit et parauit illum, et,
Sagitte dei uarie. in eo parauit uasa mortis : sagittas suas ardentib⁹ effecit. Sagittas,
ait : quoniam multæ sunt et uariæ, quas dominus emittit ut res et
tempora poscuut. Infusionis sagittæ sunt, prædicationis, atqꝫ cor-
rectionis.

rectionis. Infusio cor pungit ac spiritum eius quem e mundo uo-cat ad sui cōtemplationem; prædicatio tangit animum pij audito-ris ad pietatem mouēs; correctio corpus macerat et affligit prout deus expedire uidet. De primis ibi propheta scribit Misit sagit-tas suas et dissipauit eos. Infusionis et gratiæ sunt hæ sagittæ qui-bus facile sequentes eligit et remunerat: recalcitrantes ita sæpe trāsfigit, ut sequi compellat. Hæc nanq; dei gratia est quæ presertim quicquid est boni, producit in nobis. Gratia est donum a solo deo creaturæ rationali infusum, quo deo grata redditur et accepta ad uitam æternam pacifice possidendam: nisi obicem posuerit aut impedimentum. Gratia hæc magni ponderis est et momenti: sū-mi roboris et uirtutis infinitæ. Præuenit ipsa uoluntatem hominis et suauiter ac fortiter mouens et instituens, ad operandum quod bonum est amore dei: bene subinde cogitantem adiuuat, beneq; operari parantem salubriter ad finem usq; dirigit. Mentem rapit, trahit uoluntatem, hominem totum molliter urget et impellit, cō-scientiam excutere timari q; facit, ut nihil ibi resideat quod angat aut deum offendat. Animam purificat, animam ornat, iustificat, sanctificat atq; beat: bonos habitus ingenerans amplificat, defec-tus et uicia tollit, peccatricem in sui memoriam reuocat, in contri-tionem adigit: in aquam, in lachrymas, in sanguinem soluit inter-num, ab omni miseria liberat et deniq; uitam confert. Iustificati gratis per gratiam ipsius inquit Apostolus. Per CHRISTI gratiam cuius sanguine redempti sumus a peccati tyrannide: unde petenda cunctis iustificatio. Per hanc gratiam iusti, innocentes et dei constituimur amici. Sicut egregia species corpus homini reddit acceptum: sic gtatia commendat, condecorat et gratam deo facit animam. Hæc species et nitor animę, hæc lumen intellectui, quo quid agendum et quid fugiendum, quid odio prosequendum et quid amandum, quid sperandum et a quo sit abhorrendum in-telligimus. Hæc artem, hæc disciplinam et scientiam: hæc pru-dentiam, intellectum, et sapientiam administrat: hæc iusticiam, temperantiam, et spiritualem fortitudiuem adiungit: hæc corda

Psal. 17.
Prima sagitta domini.
Gabri. li. 2. dist. 26.
Uirtus et efficacia gratie.
Roma. 3.

repleuit

Actu.5. repleuit Apostolorum quando gaudentes ibant a conspectu con- cilij pro nomine IESV contumeliam pati : hæc diuinum no- bis et mutuum inter nos conciliat amorem, quicquid est boni per- Ad Phi.2. ficit in nobis, operatur in nobis et uelle bonum et perficere. Sunt hæ sagittæ domini de quibus hic propheta loquitur, sũt instinctus spiritussancti : sagittæ sunt quæ quibus immittuntur cogitationes sanctas, beneuolas compunctiones, et motiones ubiq; bonas atq; pias instillant : quæ non raro tam ardentes tam ualidæ sunt, ut cor etiam ipsum sæpissime pertranseant, animum penetrent, et ab imo pectore lachrymas, gemitus atq; alta suspiria trahãt, dum qui pec- cauit in deum, quid sit offendisse deum alte considerat. Transfo- derunt hæ sagittæ pectus Christiparæ dum futuram difficilem illã et arduam uitam filij præuidit, dum mortem eius acerbiorem intel- lexit: transfixerunt et Magdalenes animã quæ uitæ perperam actæ pœnitudine ducta, nunq̃ quandiu superstes erat, ploratũ atq; luc- tum quem de commissis occœperat, intermisit : de qua propterea Luce.7. ueritas ait Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Expo. Amor, amor quo iam tota rapiebatur in CHRISTVM, dolere Vehementia amoris. lugere q; fecit : q; eundem prius offenderat. Amor ad pœnitentiã ad compunctionem impulit, amor ad nouam uitam, ad uitã sanc- tam atq; incorruptã attraxit, ad uitam cœlestem allexit. O q̃ for- Canti.8. tis amor est? Fortis est dilectio ut mors. Quid enim amplius in Expo. illa mors efficere poterat? Neq; mors ultra quicq̃ potest q̃ corp9 interficere, cum morti corpus obnoxium sit. Cum ipsa mors ob- repens oppresserit atq; mortificauerit corpus : ipsum interit, sensus tunc omnes illius extinguntur, et ipsorum uirtus aufertur. Aufer- tur uisus, aufertur gustus, auferuntur & alij sensus oẽs Nunquid id ipsum in illa operata dilectio est? Tantus et tam uehemens a- mor illius erat, ut corporeis sensibus quasi priuata uideretur, dum nihil aliud q̃ mente ad deum anhelabat : impudentiam improbo- rum hominum, opprobria, contumelias, et maledicta tanq̃ non Phũs. sentiens, omnino præteriuit. Varie simul ac occulte naturam ope- Augusti. rari Philosophus affirmat : sed gratiam multo occultius operari

declarat

declarat Augustinus. Istiusmodi sagitta fixa est in pectore Petri, qui posteaq̃ a clæmẽtissimo domino recedens abnegasset eundem reuersus in se fleuit amarissime. Fixa est in corde Pauli, qui post sui raptum in tercium cœlum, corpori deinceps et mundo renuncians, in solius dei contemplationẽ sese reiecit. Matthæi præcordia tetigit, quem tumultuaria uocitatio e tælone creauit Apostolum. Latronis uiscera commouit, quem ad efficacem in fine pœnitentiam adegit. Quocunq; uolat spiritus, emissa sagitta fodit, et penetrat ipsa corda: uulnerat ad tempus ut perpetuo sanet, pœnitentia sautiat quem gloria suscipiet, corda uel saxea mollit soluens in lachrymas; crebris punctionibus, crebris suspirijs urit ut animam

F. uirtute stabiliat et confirmet. Altera sagitta prædicationis est uerbi q; diuini, quæ q̃q̃ foris exhibita: penitiori tamen et ualentiori quodam modo ferit, atq; intus agit. Sæpius hæc sagitta percutit et sautiat eum, quem prior illa non attingit. Quem diuini spiritus immissio non mouet, non rapit instinctus, quem interna uocatio non acuit: externa uox plærũq; per eiusipsius spiritus adiumentũ concitat. In quem etiam sensum orando propheta repetit Emitte sagittas tuas et dissipabis eos. Sagittas prædicationis emitte, quibus humilium auditorum corda pietate transfodias: uel in impietate pertinaces damnationis horrore percellas. Sæpe contingit, si saltuarius aut uenator ad predam intentus, sagittam in gregem uniuersum emiserit: eundem sparsum iri, ducemq; suam sibi uiam atq; priuatam eligere qua possit elabi: sed sic a grege separatum tanto facilius ab insequente uenatore capi: sic ubi diuini sermonis iaculum in gregem Christianorum emittitur, qui cordatiores sunt se distrahunt ab infirmioribus, suetam prauitatis suæ sodalitatem, antiquam uiuendi normam abijcere nolentibus: et solitarij feriuntur ea cuspide non quæ corpus interimit, sed quæ spiritum tanq̃ a corpore secernit: et cum deo per profundam pœnitentiam ac sublimem contemplationem constituit atq; associat. Non absimiliter sicut Dama uagus e saltu se proripiens q; pastum sibi solitum non gratanter accipiens ad externa se atq; incerta loca conferat, nunc

Secunda sagitta domini.

Psal. 148.

in huius nunc in illius ſolum excurrens huc atq; illuc agitatus continue nunq̄ interquieſcit, ſed ubiq; proximus eſt periculis, et tandē percuſſus recurrit ad ſuum latibulum, confugiens in paludē in lacū ut ſe reficiat et fortificet: ita peccator qui dei diffringens indaginē exit, indaginem ipſam legum dei, undiq; diſcurrens in mundo per omne genus uitij, adeo demum inſectatur a dei ſaltuario, a prædicatore diuini uerbi, cuius ſagitta tangitur et feritur ut eueſtigio currat ad aquas, ad paludes, ad lachrymas, ad compunctiones, ad contritiones, ad tunſiones, ad omnem ſpeciem pœnitentiæ: nec uſpiam conquieſcere poteſt donec ad ſaltum ſuum, ad dei ſaltum, ad ſuum habitaculum reuertatur: ubi recreationem habet, quietem ſi quam ullibi reperit, ſanitatem plene recipit. Hic ſaltus in quo deambulare, paſci et commorari debemus Lex dei eſt, de qua ſcriptum eſt Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini, Beati qui ſcrutanť teſtimonia eius, in toto corde exquirūt eū. Sepes indaginis huius præcepta ſunt ipſius dei: intra quam quandiu ſe quis continet, ſecurus erit, et ab omni periculo tutus. Iubemur enim ut ſalui ſimus intra hæc ſepta manere: quemadmodum illinc intelligim⁹ Mandaſti mādata tua domine cuſtodiri nimis. Magnus autem ſaltuarius et cuſtos eius eſt, qui de ſe pronunciat Ego ſum paſtor bonus. Cuſtodes ſub ipſo ſunt omnes, quibus animarum cura creditur: quorum negligentia ſi quis pereat, ab illa ſententia caueant Sanguinem eorum de manu tua requiram. Iam uides quanta ſit uirtus huius ſagittæ: de qua ſcribit etiam Apoſtolus Viuus eſt ſermo dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſq; ad diuiſionem animæ et ſpiritus, compagum quoq; ac medullarum: et diſcretor cogitationum et intentionum cordis. Mediam Niniuen hæc ſagitta perfodit, in comminatoria Ionæ perdicatione. Adhuc (inquit ille) quadraginta dies: et Niniue ſubuertetur. Quid ergo? urbs ne illa diruta eſt? Nihil ſecius: ſed et tunc remanſit glorioſior, et hodie fit inde multo clarior ac celebrior, ut cuius nos pœnitentiam admirati ſubinde prædicamus. Qualis igitur iſta prophetæ uox cui non reſpondebat eventus?

Pſal. 118.
Ibidem.
Iohis. 10.
Ezech. 3.
Hebræ. 4.
Quanta virtus diuini ſermonis.
Ione. 3.
Expo.

euentus? Sagitta nimirum erat ab arcu dei missa: quæ sic Niniuitarum corda penetrauit, eo timore perculit: ut materiã subuersionis amouere festinarent: qua submota, deus illico pepercit exorantibus. Si pertinaces in peccatis esse uoluissent, urbs hauddubie corruisset. Peccatorũ pœnitere cœpit, uita cæpta est innouari: et inde salus effulsit. Audierunt edificia subuertenda, iamiam hiatu terræ cuncta peritura, mortem capitibus omnium imminentem: neq; fugiebant ab urbe, sed nec ob id domos suas exibant. Prudentia maior erat et constantia firmior, q̃ ut potentem dei manum effugere tentarent quam euadere nemo potest: sed a peccatis fugerunt, a uia mala recesserunt, unde parta est ciuitati securitas. O demirãdam gentis externæ sapientiam, o fidelem acrimoniam. Non dixit eis per prophetam dominus si conuertamini, si pœnitẽtiam agatis non delebo ciuitatem: sed tantũ Adhuc quadraginta dies et Niniue subuertetur. Hæc est summa propheticæ sermocinationis, in qua nulla spei, in qua clæmentiæ nulla mentio, sed sola cõminatio. Illi nescierunt euentum, illi de benignitate dei non audierant, ineruditi de uirtute pœnitentiæ: non sui similes habebant, non pari pœnitentia seruatos ad quos respicerent, eos nulla præcesserant pœnitentiæ exempla. Prophetas non legerant neq; patriarchas auscultarant aut legem dei præsciuerant, non quibusuis istiusmodi consilijs uel admonitionibus usi sunt; non fides tradita, non adhibita persuasio qua propiciaturum deum intelligerent: sed solæ minæ suberant, solæ minæ quibus tamen ita perculsi sunt, ut frugiferã extemplo pœnitentiam agerent. Non neglexerunt dei uocem, nõ periculum quod propheta prædixit: sed omnes una prostrati sunt ad pœnitentiam, confugerunt omnes ad ieiunium, ad indumentum sacci, cineris inspersionem, ad omnem lamentationem: a uiro ad mulierem, a uiro ad puerum: ab homine ad brutum, a Rege ad seruum infimum. Strati uiri, prostratæ mulieres, se rex ipse, rex insignitus dyademate regali solio deiecit, dyadema illud proiecit a capite, sceptrum e manu deiecit in terram, uestes preciosas a corpore reppulit, cilicio se induit, in terram prostrauit cinereq; caput

Niniuitarum acerba pœnitentia.

Ibidem.

 cõspersit,

conſperſit, non ſe tollens e terra donec miſericordiam impetraſſet.
O res una memorabilis, o res aduertenda maxime et albo notanda lapillo Regem illuſtrem, regem magnificum neglecta purpura ſub ſacco cernere iacentem, cernere regem pro ſe, pro ciuitate, proq́ populo ſuo pœnitentiam agere uolentē. Cæterum en quomodo quod purpura non ualebat, poterat ipſe ſaccus Quod dyadema nequibat, cinis obtinuit. Iam quod rudes fidei, barbariq́ Niniuitæ tam cito perfecerūt: parcent facere Chriſtiani qui legem, prophetas, breue conſūmatumq́ dei uerbum habent? Sed proh pudor, eos unica concio conuertit, et ad pœnitentiæ complementum illico perduxit: ad nos oh q̄ uaria concionum copia uenit, q̄ multi pij doctiq́ concionatores, quot ſanctorum exempla, quāta congeries et multitudo librorum, neq́ tamen promouent ad ſalutem? Illi peccatis abſtinuere ſuis ſemel admoniti: nos uero peccata pecccatis adijcere non confundimur tot admonitionibus contra ſtimulati. Illi breuiter a propheta conſulti ceſſauerunt: nos quottidie labimur, neq́ reſurgimus tot modis edocti. Sagittam illi prædicationis in pectus, in cor admiſerunt ut proficerent: nos repercutimus et abijcimus ut minus infixa profit. Tacti ſūt Petrus et Andreas eadem ſagitta CHRISTI, ſic uerbum emittentis ſuum ut eos ad ſe traheret inquiens Venite poſt me, faciam uos piſcatores hominum. Illiq́ relictis ibi rethibus ſecuti ſunt eum. Puncti ſunt hac ſagitta Iacobus et Ioannes: qui CHRISTO tantum dicente Venite poſt me neq́ promittente quicq̄: rethibus, naui, patreq́ relictis, ſecuti ſunt. Sic uocatus eſt Philippus, non multum abſimiliter cæteri uocati ſunt Apoſtoli, uocati ſunt omnes ſancti, uocantur hodie, uocantur quottidie qui ueniūt ad Chriſtū. Molliti ſunt molliti ſermones eius, et ipſi ſunt iacula. Iacula ſunt mollia bonis, aſpera malis: cunctis ubiq́ peccatoribus accōmoda, quos nunc ſuauiter nunc duriter incitando feriunt. Sermo domini modo tanq̄ oleū delinit, alias ut iaculū et ſagitta percutit. Quid mollius hoc ſermone Fac hoc et uiues? Quid iſto dulcius Pœnitentiam agite, et appropinquabit regnum cœlorum? Quid illo ſuauius

Sagitta dei feriebantur apoſtoli. et multi eorū ſequaces.
Math. 4.
Ibidem.
Pſal. 54.
Expo.
Luce. 10.
Math. 3.

, ſuauius aut mellitius Quacunq; hora peccator ingemuerit,ſaluus Eſai.30.et
, erit? Vox iſta ſuauiſſima. Quiduis o peccator uſq; perpetraris: ta= Ezech. 18.
men age pœnitētiam et integræ ſaluti reſtitueris. Ille ſermo Chriſti
, mellitiſſimus Vbi ſum ego, illic et miniſter meus erit. Verbum Iohis. 12.
, iſtud optime mentem inungens Sicut ego et tu pater unū ſumus, Iohis. 17.
, ſic illi nobiſcum erunt. Nihil magis ungit aut emollit animum q̃
, hæc ſententia Venite benedicti, poſſidete regnum uobis et Ange= Math. 25.
, lis paratum ab inijtio. O uerba dulcia, o mellea promiſſa, unguēta
ſuauiſſima. Oleum carnes penetrando, oſſa demulcet: et iſthæc
, CHRISTI uerba mulcendo penetrant audientium corda. Sed
, ipſi iacula, iacula profecto. Eſt enim ubi tanq̃ iacula feriunt, pun=
, gunt, ſauciant et terrore concutiunt. Cuiuſmodi ſunt Niſi pœni= Luce. 13.
, tētiam egeritis omnes ſimul peribitis, Anima quæ peccauerit ipſa Ezech. 18.
, morietur. Securis ad radicem arborum poſita eſt. Omnis arbor Math. 3.
, quæ non facit fructum bonū, excidetur et in ignem mittetur. Væ Ibidem. Math. 23.
, uobis hypocritæ, uæ per quos ſcandalum uenit. Abite maledicti Math. 25.
, in ignem æternum. Hæc uerba ſagittæ dei ſunt acri ferro præfixæ,
iacula uulnerantia, uerba dolore plena. At utralibet ſeu commi=
natoria ſiue blanda uerba, magnam uim ſuam et mirificam in cor
humanum oſtendunt Quibus ſicut Apoſtoli uocati ſunt ad Chri=
ſtum: ſic eiſdem ipſi multos alios poſt ſe traxerunt ad eum. Spi= Actuū. 2.
ritus enim ſanctus ubiprimum deſcenderat in diſcipulos: exierunt
illi in plateas urbis prædicantes IESVM CHRISTVM a
Iudæis crucifixum, magnum illum eſſe prophetam, uerū Meſſiam
et ſeruatorē mundi. Quibus auditis habitatores Hieruſalem cō=
puncti ſunt corde, dicentes ad Petrum et reliquos Apoſtolos
, Quid faciemus? Cum reſpondiſſet Petrus Pœnitentiam agite et Actuū. 2.
, baptizetur unuſquiſq; ueſtrum, in remiſſionem peccatorū ueſtro=
, rum: qui receperūt ſermonem eius baptizati ſunt. Appoſitæ ſunt Ibidem.
, autē die illa animarū circiter tria millia. Quale iaculum et q̃ acutū,
quod inijmicorum etiam CHRISTI corda tetigit et tam ſubito
conuertit: ut illiipſi qui Chrſtum prius irriſerant, qui ligatum co=
laphizarant et crucifixerāt, iam attoniti iam cōpuncti ſtarent, pec=

 cata deflen=

cata deflentes, lugentes, eiulantes, capita nudantes et inclinantes,
Actuū.2. pectora tundentes et dicētes Quid faciemus, quid ut salui simus?
Simili iaculo percussa sunt illa quinq; millia paulopost conuersorum. Missa est hæc sagitta per Apostolos in cunctum terrarum
Psal.18. orbem, quoniam in omnem terram exiuit sonus eorum: cuius ictu
ferme totus se mundus conuertit ad Christum, quem annunciantes eradicato uitio uirtutem ubiq; sæminabant. O q̄ res demiranda, ut pauperculi piscatores, ut prensores piscium iam fierent piscatores hominum? Prendiderunt inq̄, prendiderunt homines tam celeriter, q̄ uel fiscella uel rethi pisces capiuntur. Mundū obambulabant, prædicabant euangelium, denunciabant Christum, euangelizabant crucifixū, damnantes improbos mores hominū. Sic dei uerbo totū ipsi mundum tanq̄ rethi quodām implicabant
Sermo dei gladius est. Neq; sagitta solum sed et gladius est uerbum dei de quo Christus
Math.10. apud euangelistam Non ueni pacem mittere in terram sed gladium.
Expo. Non uenit Christus ut infidelium in peccato concordia nutriretur: sed ut fideles ab infidelibus sua doctrina separaret, De cuiusmodi separationibus alibi per Euangelistam CHRISTVS
Ibidem. inquit Veni separare hominem aduersus patrem suum, filiam aduersus matrem, et nurum aduersum socrum. Ante calcandus pater, proculcanda mater, q̄ deserenda statio quam suscepimus in fide.
Ibidem. Nisi quis reliquerit domum, agrum, patrem, matrem, fratres, sorores et sequatur Christum: non potest Christi discipulus esse, non est eo dignus ut liquet ex Euangelio. Si quis obijciat, præceptum in scriptura parentibus obsequendum: aries iste pietatis hoc euan-
Math.12. gelij retundendus muro est Pater, mater, fratres mei hij sunt qui faciūt uoluntatem patris qui in cœlis est. Si credant in Christum: cum CHRISTO obediemus eis: si non credant mortui sepeli-
Luce.9. ent mortuos suos. En gladium, en sagittam, quæ quos percutit ita sauciat, ut in eis carnem a spiritu tam potenter excludat et dissociet. Hac armatura fidei, hoc gladio spiritus quod est dei uerbum, hac pharetra uirtutum præcincti fuerunt Apostoli: quando pauperrimi piscium prensores facti sunt egregij piscatores hominum Qui

num Qui(ut præfati sumus) perambulantes orbem, publicantes nomen IESV Christi, crucifixum annunciantes, propulsatoq; uitio fidem ac uirtutem adamplantes, totũ uerbo quasi rethi mũdum implicabant, capiebant, et conuerterunt ad CHRISTVM. Iam aliquo tenus uim uerbi dei cernitis, uirtutem sanæ prædicationis intelligitis. Qualiter autem uerbum illud operetur, quanta uirtus eius et q̃ mirus effectus nemo scit, nisi qui accipit et interne pensitat. Si non hæc sagitta cor abunde feriat, uidere est ut tertia corpus et auimam simul affligit. Correctionis hæc sagitta est, multas ac uarias in sese formas continens. Multæ, magnæ, profundæq; sunt hæ sagittæ. Multæ, quoniam nõ unica sed q̃ plurimæ miseriæ sunt, afflictiones innumeræ quibus cum corpus tum animam prout uult, ex merito deus attingit. Eisdem anima malis obnoxia, quibus absorbetur corpus. Affectiones corporis in animam, sicut animæ dotes in corpus redundant. Paupertas, infirmitas, ægritudo, miseria, læsio, uulnus, captiuitas, carceris obscuratio, nuditas, desolatio, sitis, esuries, frigus, æstus utrunq; molestant q̃uis præsertim e corpore manent. Inscitia, error, incertitudo, tristitia, ignorantia, timor, peccati moles animam seorsum aggrauant, q̃q̃ in corporis item molestiam nonnunq̃ accidũt. Totus homo repletur multis undiq; miserijs: cuius uita breuissima, nullis tamen interim non exagitatur incommodis. Nulla ætas sua molestia uacat. Ab infantia fragili uenitur in pueritiam imbecillem, inde conscendimus in adolescentiam ac iuuentam, demum in uiros accrescimus, unde cadimus in senectam, mox facti decrepiti, paulopost morituri. Homo bulla si tumultuarium si subitaneum uitæ lapsum introspicias: homo rupes perpetuis obiecta tempestatibus si uitæ breuis attendas incommoda. Quo sit ætas ipsa longior, eo miseria uehementior. Non crescunt anni nisi pœnarum numerus simul accrescat. Rebellio carnis, corruptio uitæ, peccati fomes magis ac magis indies ingrauescunt. Famis, sitis, frigoris, algoris, laboris, lassitudinis impatientia quottidie crescit. Singulis horis aliquid molestum insurgit. Si uel paulisper absit cibus, ibi

Tercia sagitta.

Sagitte dei multe.

H.

Iob.14.

bus, ibi pœna sentitur: si potus, illico cruciamur. Si paululũ ambularis, subito lassescis. Si digiti tantillum ignis attingat, importabile grauamen oritur. Qui uel modicum cibi non salubris ingerit, in ægrotationem incidit. Sunt hæ sagittæ quas eiaculatus est deus in peccantem prothoplastum: et nobis post illum ut conuenire uidet infligit. Tria sunt quibus constant hæ sagittæ correctionis. Ligno, cuspide ferrea, et pennis. Lignnm illud rectum notat æquitatis et iustitiæ rectitudinem, qua pœnitens culpæ meri-

Deute. 25. tum cum pœna iuste compensat ut ibi scribit Secundum mensuram delicti erit plagarum modus. Cuspis et acies sagittæ huius dolor est et mœstuties illa qua cor pœnitentis interne discruciatur

Esai. 5. ut habet illa scriptura Sagittæ eius acutæ et arcus extentus: et illa

Psal. 7. Sagittas suas ardentibus effecit hoc est pungentibus cuspidibus et uulnerantibus. Pennæ tres quæ sagittas has ad celeritatẽ et uolatũ parant atq; instruũt, sũt tres partes spei Sunt nãq; desyderia ueniæ, gratiæ, et gloriæ. Sicut enim pennæ sagittam dirigunt in scopulũ:

Magne. ita spes hominem ad salutem ducit æternam. Multas itaq;, multas uidetis esse: sed et magnæ sũt. Magnæ sunt quia tuæ dñe: quia dei, nõ hominis. Magnæ sunt quas mittit grauis ac ualida dei manus,

Littera. de qua subijcitur Confirmasti super me manum tuam. Grauiter hæ sagittæ feriunt, magnum et altum uulnus infligunt si quẽ percusserint. Sic tanq̃ e sublimi specula certa robustaq; manu tua iaculum in me tuum defixisti, ut transfixeris: non corpus solum, sed

Profunde. etiam animã. Igitur aperte cernitis esse profundas quæ sic infixæ sunt non foris in cute, non extrinsecus in carne, non in rebus externis tantum: uerum etiam uiscera penetrant, præcordia sauciant, ad ipsius animæ intima perueniunt. Intrans homo secreta suæ mẽtis adyta, conscientiam excutiens, uitam examinans: qualia, quãta, q̃ horrẽda, q̃ damnabilia sint peccata quæ cõmiserit: quomodo deo displicuerit nunc cogitatu, nunc ore, plærunq; operatione, q̃ grauiter et quoties offenderit: quid gaudiorum amiserit, et pœnarum quid incurrerit: totus intra se cõcutitur, totus stimulat̃, pauore uincitur, stupore tenetur, soluitur in lachrymas, lamẽtatur, gemit,

altaq; suf-

altaq; suspiria mittit, pœnam timens æternam. Iam consyderandũ uobis o peccatores quomodo propheta noster sagittis huiusmodi sit undiq; confossus et tamen intractus: q̃ mirifice cõturbatus, nũq̃ tamen ab ipsa spe diuinæ misericordiæ repulsus: ut istam eius in aduersitate fortitudinem fideliter imitemini. Corporis ac animæ tormentis pluribus, innumeris doloribus, miserijs indesinentibus est affectus: in deo tamen ipse suo permansit impauidus. Cuius castigationem ac flagellum cũ respiceret, et grauitatem eiusce manus punientis attendens dixisset. Confirmasti super me manum tuam: subinde conuersus ad introspiciendam ipsammet ingentẽ

Littera.

I. pœnam sibi duriter inflictam subiungit NON EST SANITAS IN CARNE MEA a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Suam propheta maximã miseriam aperte declarans, eandem totius humani generis relinquit intelligendam: et ab hac generali miseria omnium, singularem suam colligit. Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis inquit Propheta: non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis dicere potest oĩs homo, et ut dicat hic propheta tanq̃ admonet. Omnis homo corruptus in Adamo est, cuius peccato contaminatus et proinde miseria pressus: cuius illo detestando crimine totus homo, homines singuli pleni et cooperti sunt ærumnis, Quod uidens clamat A planta pedis usq; ad uerticem capitis non est in eo sanitas. Vidit ipse quomodo per Adami peccatum, omnes ex eo prognati multis abhinc calamitatibus sint subiecti. Non est sanitas in hominibus, ab imo ad summum, ab extremis ad primos: non est a principibus ad plebem infimam, a doctoribus ad uulgus imperitum, ab Adamo ad postremum hominem: sed omne caput languidum, omne cor mœrens, corpus imbecille, pes et planta fragilis, Corpora liuent uerberibus, morbis agitantur, plagis intumescunt, uulneribus hiant, alijs male modis mille afficiuntur: animæ suis incommodis et miserijs seorsum implicantur. Omnes hincinde miserijs opprimũtur, mentis pleni doloribus, corporis laboribus delassati: corruptæ naturæ uarijs incõmodis,

3. Versus.

Miseria nostra ex prothoplasto contracta.

Esaiæ. 1.

Expo.

Ibidem.

commodis, incertis mundi malis, ætatum molestijs, ægritudinum angustijs, innumeris offensionibus usq; diuexati: nunc inedia, nũc siti, modo frigore, post ardore nimio, nunc ira, odio, inijmicitijs, nunc tristicia, spe, timore cæterisq; perturbationibus inquietati: timore causarum inexplicabilium, nunc huius nunc illius incommoditatis ac infortunij, timore morsu q; tremulæ conscientiæ, timore tentationis et diaboli, timore mortis tẽporis huius et æternæ, timore dãnationis et inferni, molestijs innumerabilibus ũdiq; semper irritati. Bone I E S V qualis hic mundus, quãtæ tribulationes in eo? quænam ista uita? Aspiciamus in terram et ecce tenebræ tribulationum, et lux obtenebrata est in caligine eius. A quo nec id quod in Iob legitur abludit Vita hominis tẽtatio super terrã, aut ut habet alia littera Milicia est uita hominis, ĩ qua cõstituit ad pugnandum: ut diabolum in omnibus tentationibus uincat, carnem subigat, et mundi uarios insultus edomitet: adeo quidem ut paulominus absit ab inferno tam multiplex et iugis istius uitæ carnificina, quam nemo uiuentium subterfugere uel dissimulare potest, nec si rex ditissimus et idẽ potẽtissimus ac fœlicissimus extiterit. Tot sunt huius uitæ territamenta quæ per peccatum oriũtur, per consuetudinem crescunt: ut nemo tam duri pectoris sit ut non urgeatur. Vsu id uenit iusto dei iudicio: qui peccatis idonea decernit ubiq; supplicia. Quapropter alibi propheta sibi timens exclamat Iudicia tua abyssus multa, A iudicijs enim tuis timui domiue deus. Iudicia dei seuera sunt, sed tempore quoq; suo mitia: sæpe manifesta, sed et interdum clancularia. Videmus plus semel ubi tempestas ingruit et sæuire cæpit nunc has arbores radicitus auulsas, nunc illa iumenta fulmine tacta, tonitru grandineq; percussa: nunc res alias tuas plagis alijs affectas, tantum ut hijs casibus tui te periculi clæmentissimus deus admoneat. Arifiunt siluæ, sterilescunt agri, tabifiunt animantia, corruunt ædes, substãtia uanescit, inter has procellas sub te cadit equus, in oculo tuo cõcidit odorissequs, leporarius, molossus, canis tuus, a quibus mali nihil est perpetratum: et tu qui es author iniquitatis, tu totius mali caput,

Esai. 5.
Iob. 7.
Expo.
Incommoda que ex peccato sequntur.
Psal. 35.
Esai. 118.
Expo.

li caput, abis illæsus. Non peccat arbor, non canis, non equs, non
bælua: ſed tu es qui dominum offendis, tu peccas, tu ſupplicia cō-
mereris, non te tamen ille percutit. O ſingularem dei miſericordi-
am. Cur fit niſi ꝙ immenſa dei miſericordia te moueat et ſubinui-
tet ad præcauendum? Nam ſi tui gratia puniantur immerentia:
quanto maiores tu commeriti pœnas lues ſi nō tot præmonitioni-
bus emenderis? Profunda, profunda iudicia dei quibus ob aliorū
, peccata non res ſolæ feriuntur, uerum homines etiam alij. Pecca- 2.Reg.14.
, rat Dauid, et optione data trium unum elegit, peſtem ſcilicet: qua
, ſublata ſunt e medio ſeptuaginta millia uirorum uno die. An ipſi
cōmeruerant? Non ſane, ſed Dauid rex ſuus, pro quo dabant ipſi
pœnas deo. Vultis ut id manifeſte probem? Perpendite confeſſi-
onem hanc humillimam eiuſdem regis, cernentis angelū gladium
, euaginatum tenentem Ego ſum (inquit) qui peccaui, iſti oues ſūt, Ibidem.
, quid fecerunt? uertatur, uertatur obſecro manus tua contra me et
, contra domum patris mei. Prothoplaſtus ſemel eſt tranſgreſſus, Gene.3.
K. uno unius mali morſu de ſūmo loco uoluptatis in uaſtā imæ ſoli-
, tudiuis et miſeriæ uallem excidit. Iudicio tamen hominum res hæc
, parua reputatur. Deliquit ille, punitur uniuerſa poſteritas, poſte-
ritas fit inde mortalis, miſera: peccato originali poſteritas omnis
obnoxia pariter et damnationi ſubiecta, citra baptiſmi remedium
ineuitabili O graue dei iudicium, o manum domini ponderoſā.
, Non eſt ſanitas in hominibus, Omnes declinauerunt, ſimul inuti- Psal.13.
, les facti ſunt, non eſt qui faciat bonum non eſt uſqꝫ ad unum. In-
tegre pœnitendo prouidit Adamus ipſe ſibi: quem ſi nos in ea re
uere ſectati fuerimus, in parem cum deo gratiam redibimus: alio-
quin ad certum expectamur ſupplicium. Nos forte pro nobis aſ-
feremus ꝙ Chriſtiani ſimus. An eatenus adblandiemur ipſi nobis?
an hoc ipſo nomine gloriabimur? an ſaluos nos fore credemus ꝙ
CHRISTI geſtemus inſignia? Longe profecto, longe, nimis
longe fallimur ſi ſic credamus. Non eſt nomen quod decorat, ſed
adimpleta uirtus nominis: non in exercitu numerari, ſed res quæ
ſub inclyto duce preclare geritur. Multi Chriſtum iuuocant, multi
nomen

Math.7. Psal.6. Non nomen seruat aut sola fides sed opera. nomen agnoscunt, multi sibi CHRISTIanismum usurpant et sæpe dicunt Domine domine: quibus ipse se responsurũ ait Discedite a me omnes operarij iniquitatis, nunq̃ noui uos. Non est soli nomini fidendum, quod inutile sit si non opus ipsum adiũgas, uitam q; conformes. Nihil proderit titulus, nihil proderit umbra
Iacobi. 2. nominis nisi fidei ueracitas et plenitudo operis accedat Ipsa fides absq; operibus mortua est. Fides cum operibus, opera cum fide iustificant hominem. Nomine, genereq; suo gloriati sunt Israelitæ
Ioan. 8. dicẽtes Nos filij sumus Abrahæ, patrem nos habemus Abraham: sed et conuenientẽ opinioni suæ responsionem acceperũt a Christo
Ibidem. Si filij Abrahæ sitis, opera Abrahæ facite: atq; si dixisset Nihil prodest uobis ista tam præclara natiuitas, istaq; sublimis nominatio: nisi similem quoq; uitam afferatis. Q̃diu probe, q̃diu fideliter et sancte uixerũt, miras inter eos uirtutes ostendit dominus: ubi uero male uiuendo dereliquerunt dominum, et uias eius abiecerunt, deserti quoq; sunt ab eo, qui grauissimas propterea pœnas de eis sumpsit. Dei populus, electus ab eo, ab egyptiaca seruitute eius brachio liberatus, multis cum prodigijs per mare, per terras ubiq;
Roma. 4. conductus: quorum adoptio filiorum est, gloria, testamentum, legislatio, obsequium, promissa: quorũ patres ex quibus est Christus secundum carnem: et tamen hijs non pepercit deus ad scelera prolapsis. Hos per medias aquas maris (hostibus interea demersis) tuto traduxit, traductis in deserto duces itineris futuri prouidit: nubem diei, nocti columnam ignis componens ductum sapientissimi mosis adhibuit, de uia fessis atq; sitientibus aquã de petra produxit, esurientibns cibum omne delectamentum in se habentem Manna uidelicet abunde demisit, terram tanq̃ gratissima pruina cooperiens: at hij tamen ingratissimi, beneficiorum acceptorum immemores ad carnes quibus assueuerant in Egypto plurimum hiabant, neq; adhuc eos a se deus repulit, sed carnes etiam ad saturitatem misit, multo suauiores multo copiosiores illis in Egypto præacceptis, quas illi partim ingluuie partim fastidio corrũ-
Psal. 77. pebãt. Vnde quod sequitur impletum est Adhuc escæ in ore ipsorũ, descendit

, rum, descendit ira dei super eos, et occidit pingues eorum: occidit crassos, præpingues et uoraces epulones etiam inter comedendum et anteꝗ cibos ingessissent. Sæpe postmodum in itinere fatigati, et undecunꝗ grauati, murmura contra deum ingeminabant: et ecce descendēs ignis complures eorū illico deuorauit. Israelitarum peccantium tam subitaria plaga fuit: et nos eodem modo peccantes similem pœnam tamꝗ subitariam non timebimus? Si peccemus ipsi grauius: quidni grauiora quoꝗ supplicia dependemus? Non profuit illis nomen quo selecti, gloria qua prælati, non sola circūcisio qua ab alijs discreti sunt: et nobis hoc solum sufficiet ꝙ Christiani uocitemur? Noli fidere tibi tantū ob id ꝙ Christianus appelleris, noli opinari ꝙ seruandus sis eo uno nomine. Non nomen: sed res ipsa, sed opus, sed uita te saluum faciet. Appetentiores illi ciborum erant, nulla copia nos expleti: nullis exaturati delicijs, insatiabilis nostra uoluptas. Defessi commurmurabant illi: nos impatientissimi laborum, ad murmura propensissimi, nos in rebus illico diuinis affecti tedio: uerbo dei, sacro ministerio, pietatis operibus fere nihil attenti: nos sacram uel semel ædem adeundo subito lassati nullam ibi moram sustinentes, aut inaniter tempus illic conterentes, leuioribus mundi rebus acrius aduigilantes. Quis igitur e nobis omnibus audiens dei uindictam qua sic seuitū est in Israelitas, et considerans suas multo maiores offensas: non sibi metuat a præsenti uel futura pœna? Restat, restat orādus deus ut utranꝗ tollat: quem ut placatiorem atꝗ gratiorem inueniret Propheta, nosꝗ ut doceret similem artem exorandi: multiplices
, hic suas miserias aperte commemorat, inquiens Non est sanitas in
, carne mea, a facie iræ tuæ. Faciem iræ, considerationem diuinæ in-
, dignationis intelligit, de qua pronunciat alibi Vultus domini su- Psal. 33.
, per facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorū. Cadit ira Expo.
dei, cadit indignatio super eos qui mala perpetrant, dū punit eos, puniendoꝗ perdit et delet e terra memoriam eorum. Terra duplex est, uiuentium hæc, illa morientium. De priori sic propheta Terra duplex.
, scribit alibi Credo uidere bona domini in terra uiuentiū. De pos- Psal. 26.

2.Reg.14. teriori ſcribitur illud Omnes morimur, et quaſi aqua dilabimur.
Morimur omnes, quotquot in hac fragili terra commoramur. Perdet igitur et excludet e terra uiuentium, omnes qui mali uiuunt in terra morientium. Sic perdet, ut nec illorum mentio fiat inter beatos, nec memoria nominis eorum remaneat inter bonos, ut pro eis
Pſal.111. interceſſio fieret. In memoria æterna erit iuſtus: de memoria æter-
Expo. Memoria iuſtorũ eterna na tolletur impius. In libro uitæ iuſti ſcribentur: impij Deleantur
Pſal.68. (inquit) de librom uiuentium, et cũ iuſtis non ſcribantur. Diues L.
epulo uir malus et iniuſtus, in Euangelio non cenſetur ex nomine, tanq̃ honorifica illa mẽtione indignus: Lazarus pauper atq; iuſt⁹ deſignaẽ ex nomine, uelut æterna memoria dignus. Iuſtus erit in æterna memoria. Iuſte uiuens, uiuens in præceptis et lege dei, ſui memoriã in terra relinquet, et eandem æternam in cœlo conſtituet. In cœlo gaudebunt angeli, beati congaudebũt tam probi ſanctiq; uiri ſocietate, gaudebunt ſanctitate uitæ illius, gaudebunt incremento ſui cætus atq; chori, gaudebunt et exultabunt in domino deo, a quo talis operatio recta, uita talis originem ac perfectionẽ accepit. In orbe terrarum, apud omnes non impios facient eum ſua benefacta, ſua bona uita memorabilem: facient ut unuſquiſq; dei cultor eius animæ ſalutem animitus optent et precentur. Hæc bene preclareq; facta mouent, implorant, ad ſe trahunt dei miſeri-
Sapi.3. cordiam: hæc clara, fulgida, celebriaq; ſunt. Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno dei: fulgebunt ipſi, fulgebũt ipſorum acta coram deo, coram hominibus fulgebunt. Dicent homines inter ſe quæcunq; facient ad laudem et famam eius. Vnus interrogabit Quis hoc fecit? quis tam clarum opus tam pie ſtatuit? quis alijs iſta fundauit? Reſpondens alter nomen honorifice memorabit. Simul ambo bene defuncto dei miſericordiam implorabunt. Sic æternum
Memoria impiorum peribit. iuſti memoria manet: Nec diſſimiliter iniuſti memoria perit. Impij uel ſtatim ab animis hominum excidunt, uel cum deteſtatione ſola memorantur: plærunq; toti moriuntur, memoria cum corpore
Pſal.9. uaneſcit, perit memoria eorum cum ſonitu. Deus ex inſcrutabili, iuſticia ſua tanq̃ radicitus memoriã e mentibus auellit, e cordibus

hominũ

hominum eradit: deus in eorum animaduersione uult ut nec eos celebret mundus, nec orationibus adiutet: deus uult et statuit ut qui peccatis mortalibus infecti decedũt nullã sui memoriam relinquant. Et si multorum Ethnicorum fama crebrescat, et peccatorũ gloria magna remaneat in terris: at est ea confusio potius et ignominia, cum qua non est coniuncta spes ulla salutis æternæ. Non est improbanda laus benefactorum, preclareq; gestorum: sed ad eam ita conandum, ut comitetur perpes in cœlo gloria. Qua qui mali sunt et iniusti nõ carent modo, sed obliuionem etiam sibi pariunt apud suos in terris: quorum si qui, saltem amici meminisse uelint. Atqui filius sæpe patris, pater filij: mater filiæ, filia matris: mariti uxor, uxoris maritus: amicus amici cognatiq; cognatus obliuiscitur: adeo quidem ut uix alter alterius animæ bene precetur, uix dei misericordiam exoptet. Qui fit oro? Ingratitudinem obtendis. Et quomodo talis inter amicos sanguineq; coniunctos ingratitudo nascitur? Deus certe permittit, ut iniquitatem utrinq; punient. Hac animaduersione deus peccatorem sæpe percutit ut moriẽs obliuiscatur sui, qui dum uixit oblitus est dei: et per fallaces amicos subito tradatur obliuioni, qui iuste pieq; uiuendo ueros et memores non conquisiuit amicos. Vult deus, uult ut qui uiuens non recordatur pietatis et iusticiæ: post mortem illius nemo reminiscatur. Quisquis ergo uiuis, scito te moriturum: memento dei dum in corpore agis, memento tui dum hic uersaris, memento animæ, memento finis, recordare nouissima: talẽ interea uitam acturus, quæ tuæ memoriam cælitibus pariter ac terrigenis commẽdet, et perpetuam efficiat. Noli negligere deum, noli quæ dei sũt postponere: neq; te deus ipse negliget, aut ab hominibus negligi permittet. Si bene, si pie, si iusteq; uixeris, licet omnis mundus obliuisci tui uoluerit, haud poterit: quia deus memorem esse coget. Vt omnes amici sileant: ipsa quæ bene preclareq; fecisti tui memoriam in orbe seruabunt, ipsa pietatis opera, ipsæ fundationes, ipsi lapides in structuris loquentur et prædicabunt authorem suum: in cœlo dicent, clamabunt in terris, se huius aut illius esse ceu pronunciabũt.

Gregorius

Quid et quãtum deus faciat pro suis.

nunciabunt. Nunq̃ unq̃ excidunt e pectoribus, nuſq̃ obliuioni traduntur quæ geruntur a iuſtis atq; ſanctis hominibus. Quid perſecutores et tyranni, quid carnifices conati ſunt aliud q̃ ut martyrũ et confeſſorum memoriam penitus extinguerent, ut e medio tollerent: quorum corpora lanianda beſtijs et uolucribus obijciebant rapacibus? cremanda flammis et ignibus, corrumpenda ſterquilinijs, corumpenda ſpecubus et cloacis, fluminibus raptanda, aquis deuoranda mandabant? ut ſic in obliuionem eos æternam adducerent? At hij tamen (uides) quanto clariores, quãto celebriores ad hos uſq; dies mundo manſerint, in cœlo clariſſimi, fulgentes ut ſol in regno dei. Quanta nunc memoria ipſorũ agitur, quomodo facta memorantur? quantus honor eorum, quantum mundus collaudat in ipſis deũ et ipſos in deo? qualiter eorum corpora de loco in locum deus tranſtulit? Non ignoramus quomodo multorum corpora de locis ſuis tranſtulerit, quomodo latentia quidẽ et ignota reuelarit, et in apertam lucem, in conſpectum hominum produci fecerit: ut honorem ab hominibus, ut publicam merito uenerationem acciperent. Scimus ut hunc huic, illum illi loco deputarit: et ipſorum præſentia locum ipſum conſecrarit, celebriorẽ, miraculisq; copioſum reddiderit. Vnde qui frequens illuc populus acceſſit: et ſuum diuis honorem impendit, et multiplex ſibi beneficium obtinuit. Hæc ipſorũ teſtantur hiſtoriæ, teſtatur de corpore Moſi liber Deuteronomij, teſtat̃ hiſtoria quæ de beato Stephano conſcribitur, teſtatur quæ de diua Katherina, de ſanctiſſimo Ioanne baptiſta: cuius corpus incendio cõſumptum, diſperſi cineres, ut memoria ſimul euaneſceret, ut chriſtiani non colerent, non celebrarent. An igitur in obliuionem ille deuenit? Non deus alme, non permiſiſti ueris ſeruis tuis ſic poſſe nocere impios. Corpus occidere poterant, in animam nihil poterant: ſed nec memoriam corporis, aut famam totius hominis extinguere. Quomodo nanq; celebratur ab eccleſia? quanta ueneratione clarificatur a populo? Nomen eius ſcriptum eſt in libro uiuentium, ſcriptũ in pijs, cordibus, repoſitum in ſacris annalibus, exaratum in martylogio: unde

M

Ad Phi. 4. et Luce. 10.

unde quotannis plebi recitatur. Quod promisit deus benefactrici mulieri, cæteris id sanctis eius etiam accõmodũ est In toto mundo dicetur quid fecerit in memoriam eius. Nunquid enim Ioannes iste baptista passim celebratur, an non concelebrantur alij similes? num quod de illo CHRISTVS affirmauit Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista, decantatur ab omnibus? Dici non possunt, dici non possunt quanta facta sunt ad perpetuitatem nominis beatorum. Oh quanta uirtus, quanta potestas iustorum est? Clamauerunt iusti, et dominus exaudiuit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iusti tres pueri Sydrac, Mysaac, et Abdenago, quia noluerunt præcepto Nabuchodonosori regis obedire, sacrificantes dijs illius: in medium protracti coramq; uocati multis malis modis accepti sunt, ut uel sic territi coactiq; consentirent, in medias deniq; flammas iniecti. Cæterum nihil illos neq; minax neq; imperiosus regis uultus, furor illius, nihil aduersantium multitudo inter quos soli derelicti stabant, neq; grauis aspectus ignis, nõ clangor tubarum immitis, nec crudelitas in ignem proijcere uolentium, ulla ex parte commouit: sed in flammas etiam proiecti tanq̃ deridentes et spernentes omnia tormenta fuerunt imperterriti, nec magis impauidi fornacem accensam intrabant q̃ ibi manserũt intacti, tam illæsi ab incendijs q̃ uita fuerant innocentes, Refrixit ignis, iustos flamma lædere non potuit: sed clamauerunt et exauditi sunt, Clamauerũt et liberauit eos dominus. Ergo iuste uiuas o mortalis homo, uiuas insons quoad potes in conspectu dei: et clama, teq; dominus exaudiet clamantem ad se in necessitate tua. Sed forsitan obijcies Ad dominum cum tribularer clamaui, cum periculum immineret auxilium imploraui: nec me liberauit a malo. Aut ergo malus et non iustus ego, nec quod iubet facio: aut ille me non uidet, non curat iusticiam meam qui non exaudit. O homo, noli tu præiudicare, noli præcludere tibi misericordiam dei: tantum iuste uiuas et quod ipse iubet facias: et ipse si non te corporaliter, at spiritualiter adiutabit: si non hic te liberet a præsenti miseria (quod multo satius est) pos-

Math. 26.
Math. 11.
Psal. 33.
Daniel. 3.
Fortitudo trium puerorum.
Psal. 33.
Psal. 119.
Non cessandũ ab oratione si deus illico nõ exaudiat

est) postea liberabit, liberabit a miseria grauiore, a miseria futura. Nouit deus quid conueniat, quid saluti tuæ sit magis accommodum, quod tu plane non nosti: et facit quod est saluberrimum. Si non te liberet e molestia temporali per quam euadis æternam: an nō interim bene tibi facit? Quosdam liberat ad suam gloriam: alios ob suamipsorum salutem non liberat. Tres pueros (ut iam uidimus) de fornace flammea reduxit illæsos: septem Machabeos miserabili cruciatu de medio tolli sustinuit. Illi sub incendio modulis ac hymnis resonabant: isti quid senserint nescimus, ꝙ in causa dei, materia iustitiæ durissimæ morti cesserint, aperte legimus. An non idem deus puerorum, et Machabeorum? Cur igitur illos eripuit: istos autem eripere noluit? Vtrosq; certe liberauit, utrosq; eruit: quanq̄ non uno et eodem modo. Illos hic aperte liberauit in apertam persecutorum confusionem, ut plane cernerent se nihil posse contra dei uoluntatem: hos ut uoluit ad se uocauit, dum uiolentes martyrum oppressores ad pœnas se dignas reseruauit. Non arguitur iniustus, quisquis hic a dn̄o non liberatur: sed qui iustus est et hic non liberatur, ad liberationem salubriorem alibi futuram expectat. Petrum angelus a uinculis semel absoluit dicens Surge, uelociter, et exi: solutisq; extemplo uinculis liberū abire fecit, quem, postea perimendum, cruceq; consummandum non eripuit. Vtro iam tempore clæmentiorem deum, et plus exaudisse dicemus? an quando de carcere liberauit, an ubi de cruce noluit? Multo ualentior multo preciosior exauditio, q̄q̄ minus experta nobis: qua dominus illum ad se uocauit et assumpsit. Tu qui premeris angustia, clamas itidem: neq; tamen exauditus eriperis. Caueris inde deū inexorabilem aut immisericordem arbitreris. Recordare ꝙ medicus ipse sit: uidet aliquid in te putre quod eget purgatione. Purgat hic, ut seueriorem alibi purgationem euadas. Quamobrem iuste uiuens inuoca dominum, et exaudiet: aut dando quod petis, aut multo meliora q̄ petis. Hinc aperte uides ꝙ erga iustos ingens sit amor dei, ꝙ magna sit uirtus eorum et potestas: nec ipsorum modo, non corporum dumtaxat, sed et omnium quæ circū ipsos sūt:

quamobrē

Quomodo deus ab aduersitate aliquando liberat aliquando non.

Actuū. 12.

N.

Non solum sancti sed et que circa ipsos sunt venerationem mereantur.

quamobrem quoq; uenerabilia sunt omni creaturæ. Vmbra corporis, corporum indumenta magnæ uirtutis erant et efficaciæ: nec minoris hodie dignitatis et reuerentiæ. Quos scimus in cœlo glorificatos: eorum reliquias non aspernamur in terris. Quorũ nomina ueneramur in cœlis reposita: uestimenta colimus relicta nobis in terra. Cur hijs quorum uirtus est, ueneratio denegabitur?
, Heliæ Melota Iordanem diuisit, Lignum Helisei naturam mutauit 4. Reg. 2.
, aquarum, dum ferrum in superficie terebant ut rediret in manubrium, 4. Reg. 6.
Trium puerorum calciamenta fornacem ardentem calcabant Daniel. 3.
incombusta. Virga Mosi uiam in mari patefecit Israelitis, aquas Exodi. 14.
elicuit e petra, noxium serpentẽ interfecit, Tactus fimbriæ Christi Math. 9.
Hemorrhoissam sanauit. Vmbra Petri uarias ĩfirmitates a multis Actuũ. 5.
effugauit, Petri Boie gutturnosam saluti restituebant, Pauli uestimenta multos langores a multis expulerunt, Pallium Hieronymi tres defunctos a morte suscitauit: per alios sanctos, et ipsorum indumenta, multa mira deum operatum ex ipsorum historijs intelleximus. Eccam uirtutem iustorum hominum, eccam uirtutem spectantium ad eos. Nec ea solum a morte resplendet: sed et uiuentibus splendorem ac securitatem adijcit. Iustus omnia facit cũ Iusti secure viuunt.
, fiducia Iustus ut Leo cõfidit. Clamans leo reliquas in fugam bæluas conuertit: uir sanctus et iustus ad deum uociferans ubiq; dæmones expellit, ubiq; magnas uirtutes ædit. Iustus securus ambulat, iustus securus sedet, securus edit, cubat, surgit, loquitur: omnia secure facit. Venit in lucem ut uideantur opera sua quia in deo facta sunt, qui facit ueritatem non ueretur faciem ubiq; coram ostendere. Non est ut erubescat aut uerecũdetur, qui nihil omnino facit pudore dignum. Ipse sibi iudex, se explorat ad unguem: quid recte gestum quid non, quo prætergressus, quid sibi præteritum, quid omissũ: cur se natura magis q̃ disciplina traxerit: sic cogitata, sic dicta et facta per omnia, cuncta reuoluens, offensus prauis (ut inquit Vergilius) dat palmam et præmia rectis: leuis quid opinio uulgi securus, mundi instar teres atq; rotundus Tam fortis et audax homo iustus est q̃ leo: non quis aspiciat aut se uideat curat, Prou. 28. Vergil.

non curat

non curat quis cor, quis animam, conſcientiam, quis uitam intro=
ſpiciat. Nihil timet cui non eſt mens conſcia praui, nihil appetit,
nihil curat cui mens ſatiata deo, cœleſti deſyderio plena conſiſtit:
non mundum, non carnem reſpicit cui mens in deo firma fixaq;
manet, non diabolum reformidat qui per charitatem ſic deo cohæ=
ret ut nulla ratione diuelli poſſit: non metuit inijmicũ, non aduer=
ſarium, non famem, ſitim, non paupertatem, non carcerem, non
gladium, non ipſam deniq; mortem: cum Apoſtolo pronuncians
Roma.8. Quid me ſeparabit a charitate dei? an fames, anguſtia, nuditas,
carcer, gladius? an mors? Certus ſum ꝙ nihil horũ me ſeparabit.
2.Cori.7. Impij semp anxij. Non ſic impius, non ſic, Impio pugnæ foris, intus terrores. Fugit
Prouẽ.28. impius nemine perſequente. Cur fugit nullo perſequente? Certe
Expo. quia trepidat timore, ubi iuſto non eſt timor. Impium mens ipſa
torquet, impium conſcientia remordet, impium maleficiorum re=
cordatio ſtimulat, legum et iudiciorum formido cruciat. Habet
impius intra ſe iudicem, contra ſe teſtem, habet intus accuſatorem
ſcilicet conſcientiæ ſtimulũ, quem uſq;quaq; circunfert. Quocũq;
fugit, illum fugere non poteſt: quocunq; fugit ab eo flagellatur do=
nec a ſe remouerit: quocũq; fugit ut furiæ quædam et laruæ pecca=
ta terrifaciunt, quæ ſtultum et improbum uix reſpirare ſinũt. Si qui
furtum commiſit aufugiat, omnem hominem interim obuium ut
perſecutorem extimeſcit: omnem arborem, animantem omnem,
immo quicquid aſpicit ſuſpectum habet, et hominem ſe perſequẽ=
tem arbitratur. Tam formidoloſus eſt mali conſcius, ſibi cõſcius
ſtatim immurmurat, illico reformidat, tremiſcit, habet omnia ſuſ=
pecta, de ſe putat omnia dici: contra ſe omnia fieri. Omnia me=
tuit, meticuloſe reſugit: metuit umbram, fragorem, ſtrepitũ, om=
nem ſonum: commotionem omnem, omnem uel folij motũ me=
tuit, omnẽ aduerſari putat imaginem. Mundus in quo delinquit,
homo cum quo peccat terrifacit: uita perturbat, mors excruciat,
iudicij timor exanimat, peccati frequens memoria uexat, diaboli
recordatio plusq̃ trucidat, infernus ululare facit. Non lux, non ci=
bus eſt uere ſuauis illi, non potus iuuat, non ſecure ſomnum capit
aut quieſcit

aut quiescit unq̃: quia uiuit corde sub dolente uulnus, torquet uiscera remorsus conscientiæ, carnifex cruentus comest, uorat, lacerat mentem intus uesanos tacitus mouens furores. Ita grauem peccatorem, sic impium non caro tantũ fragilis undiq; distorquet: sed anima molestat, mens urget, spiritus multo fortissimus examinãdo diuexat. Quare quod de se propheta ueraciter inquit, cæteris quoq; peccatoribus appositissime quadrat Non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum. Ossa uires mentis appellant̃, peccatorum facies, ipsa peccatorum recordatio est. Vnde propheta conscius, non esse pacem, non esse quietudinem mentis suæ uirib⁹ ait: non esse pacem animæ, non sibi: dum recordatur scelera quæ commisit. Grauia nanq; peccata uirtutes omnes internas undiq; conturbant. Facies autem pro noticia hic ponit̃: quoniam ex ipsa facie seu uultu unusquisq; depræhẽditur et cognoscitur: neq; clare scitur cuius facies ignorat̃. Sæpe quidem habitus exterior, est interioris declaratiuus. E uultu qui foris aperit̃, sæpe qualitas agnoscitur quæ intus claudit̃. Ira se prodit in uultu, se ꝓdit inuidia, quodãtenus se prodit omne peccatum. Duplicem habet homo faciem, habet internam animæ, habet corporis externam. Exteriori cognoscit homo hominem, interiori (quæ eadem est consciẽtia) deus homines internoscit. Hanc homo uidere nescit, utut quædã illius argumenta desumere potest: solus deus clare faciem istam cordis intuetur. In iudicio tamen facies ista pandetur, hic liber explicabitur, ad laudem atq; gloriam bonorum, malorũ autem uindictã: ubi uidebunt omnes aperte quomodo recipiet unusquisq; secundũ ea quæ gessit in corpore. Cuius terribilissimæ diei, cuius iudicij seuerissimi sentẽtiæq; metuendissimæ quãdo prophetæ uenit in mẽtem: o q̃ sibi timuit ab ira dei, o q̃ timuit a peccatis ? clamitans intra se Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ domine deus, Non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum? Indignationis illius olim futuræ, iudicijq; supremi prophetam terror tant⁹ inuasit, peccatorum tam acerba recordatio subijt: ut totus obstupefactus, ut totus in se confusus semiq; mortuus de mundo ferme raptus et

Marginalia: O. (beside "do diuexat"); Littera. (beside "quoq; peccatoribus"); Ossa animę (beside "meis, a facie"); Facies quid significat. (beside "conturbant"); Facies duplex hoīs. (beside "tenus se prodit"); Littera. (beside "intra se Non est sanitas")

raptus et solutus appareret. Erubuit peccatum quod commiserat,
2. Reg. 24. pertimuit periculũ quod impendebat. Quando propheta Nathan
Optio trium dauidi facta. minando dixit ei Aut ueniet tibi fames in terra septem annis, aut
tribus mensibus aduersarios fugies, aut tribus diebus erit pestilentia in terra Elige quod uis: plurimũ ipse perterrifactus respõdit Coarctor nimis undiq;. Postea uidens Angelum acerrime populum concidentem, pesteq; tanq̃ gladio flagellantem: multo magis animo corporeq; turbatus est. Sed et quando iudicij dies, dies illa magna et amara ualde, dies iræ, calamitatis et miseriæ menti suæ succurrebat: maxime uexatus et concussus est: ossibus, et neruis, immo toto corpore cæpit intremiscere, cæpit animo destitui. Vnde tam multiplici terrore toties et tam grauiter est perculsus ut festinato senectus oppresserit, tantam secum afferens frigiditatem, ut nullis uestibus potuerit incalescere, prout tercij regum primo patet. Cæterum infirmato corpusculo uirtus mentis accreuit, corpore debilior, factus est animo fortior: sicut Apostolus, inquiens
2. Cori. 12. Quando infirmor tunc potens sum. Sapientia crescit in senibus,
Virtus infirmitatis. crescunt animi uirtutes quando robur corporis immutatur.
O si par dei timor nobis inesset, utinam haberet corpus unde doleret, mens unde tristaretur, utinam partes omnes corporis infirmarentur ut uiuificaretur spiritus, utinam in carne non esset sanitas ut sanaretur iu CHRISTO idem spiritus, o si traderet omnipotens deus corpus in interitũ carnis ut spiritus saluus fieret.
1. Cori. 5.
Non est incolumitas, nõ est carnis prosperitas: sed infirmitas quæ
Prosperitas corporis obest perducit ad cœlos. Concedit tibi deus sanitatem corporis, concedit undequaq; prosperitatem: et tu interim largitorem non consyderans ingratissime uoluntatem eius euacuas, animæ salutem non respicis: uoluptati reliquisq; uicijs omnino deditus. Sin immittatur infirmitas et infortunia premant: ad deum accurris, confiteris admissa, ueniam implorans. An non est ergo melior afflictio præsens cum futura beatitudine: q̃ præsens rerum copia, iocunditasq; cum uentura damnatione? Tradidit Apostolus quendam,
1. Cori. 5. ob incestum Sathanæ in interirum carnis, ut spiritus saluus fiat in,
die dñe

die domini Sicut nãq; discipuli potestatem habebant ab obsessis dæmones expellendi: sic et præcipiẽdi facultatem ut intrantes corpora uexarent in salutem spiritus. In eo quem Sathanæ tradidit Apostolus in carnis interitum, ostendit per hoc infrene corpus homines seruari non posse, nisi tradantur aliquãdo in carnis interitũ.

Hæc caro tradenda Sathanæ, uiuit in solis peccatoribus, hæc in hominibus iustis est mortua, uere dicentibus illud Apostoli Semper mortificationem IESV CHRISTI in corpore nostro circũferimus, ut et uita IESV Christi manifestetur in carne nostra mortali. Sicut Christus omnem carnis ardorem et impetum, carnalem omnem affectionem atq; intellectum extinxit: sic et nos extinguamus oportet, cũ ꝓpheta dicentes Propter te mortificamur tota die Id quod suadet Apostolus Mortificate membra uestra, quæ sunt super terram. At quomodo membra mortificabimus? Docet idem Apostolus Sicut exhibuistis membra uestra seruire iniusticiæ et iniquitati ad iniquitatem: ita modo exhibete eadem membra uestra seruire iusticiæ in sanctificationem. Vtinam, utinã nobis peccatoribus fieret quod incestuoso fecit Apostolus: ut per tormentum corporis, per animæ tristiciam, spiritus saluus et liber euadat. Optandum ut quemadmodum Iob patriarchã sic et corpora nostra Sathanas affligat: tormentis, morbis, langoribus, frenesi, febri, lassitudine, cæterisq; perturbationibus et pœnis afficiat: ut a uicijs ad uirtutes uel ea uia resiliamus. Sunt hæ de quibus ꝓpheta scribit Immissiones per angelos malos: a quibus qui flagellantur nonnunq̃ ita permouentur ut resipiscant. Quare de se fatetur Apostolus Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ qui me colaphizet: sed et gloriabor in infirmitatibus meis, quia cum infirmor tunc potens sum: et nos precor una gloriemur, itidem optemus ut edomita carne spirit⁹ exultet, ut corporis infirmitas spiritus fortitudinem efficiat, quia Virtus in infirmitate perficitur. Oremus Domine deus, corpus ante pessundes, ante perimas q̃ spiritum extingui sinas: ante corpus extingui, q̃ spiritum in ullo lædi permittas. Corpus istud percute, percute corpus, percelle mentẽ:

Mortificatio carnis admodum utilis.
2. Cori. 4.
Psal. 43.
Ad Colo. 3.
Roma. 6.
Psal. 77.
2. Cori. 12.
Ibidem.

telle mentem: ut ſpiritus, ſpiritus ſaluus fiat. Ne patiaris animam interire, quam tam chare coemiſti: pro qua tantum perſoluiſti precium. Sic optabat Apoſtolus illi, quem Sathanæ tradidit in interitum carnis. Nihil id aliud eſt q̃ uexationibus obijci carnis, per quam peccatur: ut impellatur quis ad ſuſcipiendam contritionem, ad pœnitentiam peragendam. Caro traditur in interitum, ſi ſenſus carnalis emoriatur neq; concupiſcentia uiuat in nobis: ut non ſecundum carnem ſapiamus. Vtinam ſenſus carnis, utinam ita moriatur in nobis: ut ſpiritus in die domini ſaluus eſſe poſſit. Vtinam memoria peccatorum, memoria iræ dei ſic incũbat:ut appetentia corporis emarceſcat. Hæc pœnæ hæc culpæ memoria, maximum animo corporiq; dolorem infligit. Cuiuſmodi P.
4. Verſus. præ cæteris in ſe ſentiens ita ſubdit QVONIAM INIQVITATES MEAE SVPERGRESSAE ſunt caput meũ: et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Quid aliud eſt iniquitates caput ſupergredi q̃ rationem ipſam, ſummam illam ſyntereſim a peccatis occecari? quid aliud q̃ in ſe peccatorem ita confundi: ut quid ſit agendum ignoret? Propheta uero præ peccatis quæ commiſit adeo caput ſenſit infectum: adeo rationem obtenebratam et ſenſus offuſcatos intellexit: ut ueriſſime quod potuit dixerit Iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput meũ. Id propheta pro ſe dixit, id ꝑ ſingulis peccatoribus, qui non immerito cum propheta dicere poſſunt Iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput noſtrum. Nos deteſtabile peccatum ſic appropinquare, ſic ſenſim inuadere permiſimus: ut totam animam, totum corpus, ut ipſum utriuſq; robur fere contriuerit. Quando ſecreta cordis et interna perpendimus, conſcientiam excutimus et uitam undequaq; ponderamus: quando peccata reſpicimus, q̃ multiplicia, qualia, quanta, q̃ grauia, q̃q; ſint enormia, q̃ deteſtanda, q̃ horribilia: quando memoria repetimus cogitando loquendoq; quorſum erupimus, quid omittendo, quid committendo deliquimus: quidni dolendo fateamur Iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput? Iniquitas pauperculam hanc animã adeo ſuperauit, adeo ſubegit, adeo lumen rationis abſtulit: ut quodammodo quis

Iniquitas rationẽ exccecat et rectum iudicium tollit.

modo quis compellatur quod alioqui nollet admittere. Per peccatum fit, ut periculum peccati nesciatur. Vnum peccatum uiam , affectat ad cætera perpetranda. Traduntur peccatores (sicut in- Roma.1. , quit Apostolus) in reprobum sensum, ut faciant quæ non conue- , niunt: ut intellectu iam obscurato et ignorantijs atque erroribus inuoluto quo nollent erumpant, in puteum quem nesciunt incidant: ut onus peccati non sentiant, ut grauitatem, discrimen, et damnationis horrorem non percipiant. Hominum hodierna conditio trutinetur, tractus humanæ uitæ pensitetur: et inuenientur ita peccatorum pondere pressi, tanto errore tanta cæcitate percussi, ut nihil recte diiudicent: ut grauissima pro leuissimis tanquam pro harenula molarem, pro lapillo rupem æstiment. Demens est talis æstimator: dementior qui peccata grauia pro leuibus habet. An alio modo iudicare possetis quam insanum illum esse qui perexignum harenæ puluisculum molarem affirmat: et contra, molarem scrupulum? , Quid ergo tam impie iudicare facit? Tradit Augustinus Peccata Augusti. , inquiens quamuis magna sint et horribilia cum in consuetudinem du- , cantur, aut parua aut nulla creduntur. Aiunt hodie peccatis assuefacti, sicubi tangatur ipsorum improbitas: non tam grauia sunt peccata nostra, leuia quidem quæ cōmittimus. Si quis arguat: hui, mos hic (inquiunt) mos aulæ est, temporis ibi sumēdi forma talis: hui, uulgaris ista consuetudo, nullus non ita facit, sic in mundo uiuitur, hoc modo uita præsens alitur, hæc totius mundi ceu iocūda comedia est. O dementissime. Hoc affer in excusationē, id ob- Inutilis peccati excusatio tende coram arbitro tuo, coram auditore deo Cur non una recogitas dominum deum tuum, diuitem illum (de quo loquitur euangelium) te uocaturum ad reddendam rationem uillicationis tuæ? Luce.16. Redde rationem ergo, reddas auditori deo, redde CHRISTO iudici, uide sis an in iudicio suo sit excusationem istam, immo peccatorum occultationem accepturus. Quando sedebit in tribunali, , fore pronūciat Apostolus Vt recipiat unusquisque secundū ea quæ 2.Cori.5. , gessit in corpore. Et ipse deus per Mosen ait Pro mensura delicti Deute.25. erit plagarum modus, et per euangelistam Qua mensura mensi Math.7.

 fueritis, re-

Math.7. fueritis, remetietur uobis. Cæterum tu ex illis es de quibus et ipse Q.
Luce.6. alibi dicit Trabem in oculo suo non uident. Quapropter hypo=
crita eijce trabem ab oculo tuo, nec ex trabe festucam effice: gran=
de peccatum noli leuiculum arbitrari, noli quæ ingentia facinora
sunt tanq̃ parui ponderis æstimare. Impœnitentia profecto blas=
phemiæ pars est: hæc præsumptuosa peccati negligentia. Deus
facile condonat quicquid ullo modo ueniale facit humanæ naturæ
infirmitas. Sin aliquis malicia peruersus atq; excæcatus contra su=
am ipsius conscientiam, deo diuinis ue repugnet operibus, ob pro=
teruiam illam nusq̃ resipiscens: blasphemus est peccans in spiritũ
Math.12. sanctum, quod nec in hoc sæculo neq; in futuro condonabitur.
Non est irremissibilis quæcũq; blasphemia, ut quæ nec contra dei
spiritum peccatum est: sed quam hinc obstinacia, illinc impœni=
tentia sequitur. Paulus enim blasphemus erat, sed non peccauit
in spiritum sanctum: qui quod fecit per infirmitatem et ignoran=
tiam fecit, et tempori resipuit: quando deiectus in uia et pronus ad
Actuũ.9. pœnitentiam factus aiebat Quid uis faciam? Cuiusmodi quid
1. Timo.1. de se fatetur ipse Blasphemus fui (inquit) persecutor ecclesiæ, et cõ=
tumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci,
et in incredulitate. Tu quoq; si uelis cum Paulo misericordiã cõ=
sequi: cum Paulo resipisce, blasphemare desine, noli quæ grauia
sũt leuia putare, noli quæ magna sũt tanq̃ minuta neglectim præ=
terire, ne sis tanq̃ unus ex illis contra quos Sapientia clamitat in
Sapien.2. hunc modum Dixerunt impij, cogitantes apud se non recte, Fru=
amur bonis quæ sunt, utamur creatura tanq̃ in iuuentute celeriter,
uino et unguentis impleamus nos, nemo sit exors luxuriæ nostræ,
relinquamus signa lætitiæ nostræ: quoniam hæc est pars, hæc sors
nostra. Erunt hij post hæc decedentes sine honore, et in contume=
lia inter mortuos inæternum, a fundamẽtis et usq; supremũ deso=
labuntur, erunt gementes et memoria illorum peribit. Ne sis igi=
tur ex illis, nusq̃ applaudas, nusq̃ adioceris insolentiæ tuæ, singu=
la peccata qualia sunt talia reputato, quibus insueuisti magnis for=
san atq; grauibus, noli dicere sine hijs uitã agi non posse: sed par=
ua potius

ua potius extimeſcens tanq̃ magna deuitato. Congere minuta (dicit Auguſtinus) et tandem faciunt ingentem aceruum. Grana minuta ſunt: ſed quorum multitudo maſſam facit ingentem. Guttulæ minutiſſimæ ſunt: multiplicatæ tamen implent flumina, molesq; trahunt. Quamobrem cogita peccata tua, cum paruis magna, leuia cum grauibus: recogita per ſe ſingula, quid per ea lucritacias et quid amittas, quomodo cœli gloriã amittas et inferni pœnã inuenias. Ita ſtatim pondus peccati ſenties: et quomodo te premat intelligens, ueriſſime dices Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Magnũ geſtans in ceruice ſaxum, ſi præceps ab æditiore loco deijciatur: nihil ponderis in ipſo caſu ſentit, niſi quoad perniciore celerioriq; motu feratur, ſed cum in terram deueniens illiſus fuerit et afflictus humi: ſtatim ipſo pondere quatitur et diſſoluitur in minutias. Qz ſimillimo modo peccator ad inferna corruens, corruẽs a uiuis ad mortuos, a ſuperis ad profundos inferos, inter corruendũ præmagni ſui ſceleris ingẽs onus haud percipit, in hac uita futuræ grauamina non uidet: ſed, ſed ubiprimũ hiatus ipſum Barathri uorarit: per Lethen, Stigem, Cocytum, Phlegetontem, et Acherontem inferni flumina quibus obliuio rerum, animi mœror, luctus, ardor, abſentia gaudij et mœſtucies oriuntur: ſemper magis atq; magis deorſum demerſus uſq; ad profundum in puteum laci, plene ſentiet onus importabile[illegible]t, ſentiet pœnas intolerabiles, damnationis horrorem inde[illegible]bilem, uarias, immenſas et inextricabiles ſentiet ſpecies tormentorũ: e quibus nuſq̃ patebit exitus, Quoniam in inferno nulla eſt redemptio Facilis deſcenſus auerni Sed reuocare gradum ſuperasq; euadere ad auras: hoc opus, hic labor eſt, labor infinitus et inexplicabilis error. Quiſquis autem bene ſeipſum inſpicit, conſciẽtiam rimatur et uitam ex omni parte penſitat: et ſi non illa maxima peccatorum mole prematur, ſaltem tantam ſuper ſe deprehendet, ut merito cum propheta dicere poſſit Iniquitates meæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Quapropter aduigilabit, et omnem animi uim atq; induſtriam huc in-

Multa parua graue pond9 efficiunt. Auguſti.

Grauis caſus peccatoris.

Flumina inferni.

Vergilius.

tendet, ut interea temporis saxum istud ab humeris tanq̃ abijciat, ut molem peccatorum superstes excutiat: quo non solum nihil in sese reliquũ sit quod premat ad inferos, sed etiam insit quod ad sedes supernas euehat. Cæterum quia grauamen peccatorum oneri graui Propheta comparat: superest ut paulo plus de onere dicamus, in eo desituri protinus ut quale sit onus peccati non obscure uideamus. Quadruplex igitur onus est, appetendum, sustinendum, deponendum, et metuendum. Onus appetendum, diuinæ legis onus est: de quo CHRISTVS ait Iugum meũ suaue est, et onus meũ leue. Si iugum, quomodo suaue potest esse? si sit onns quomodo leue? Quodnam igitur et quale iugum istud? Lex profecto Christi, lex est euangelica. Qualiter ergo suaue iugum et quomodo leuis ista Christi sarcina? Lex ista præ lege uetere multo suauissima. Contra quis opinando proponet argumenta Lex homicidium, iram prohibet euangelium: adulterium lege, concupiscentia punitur euangelio: lege solus actus, uoluntas euangelio castigatur. Quo difficilius atq; insuauius lege uidetur euangeliũ. Verum hic mihi consyderet quisquis hæc obijciet: quæ præcipiunt in lege, iudicialia pariter ac ceremonialia compleri non posse sicut in Actis apostolicis aperte legimus Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum quod neq; nos neq; patres nostri portare potuerunt? q̃q̃ moralia sint satis obseruatu facilia, et ob id in noua lege remanentia. Illa compleri non posse dixi non q̃ sint simpliciter inobseruabilia, quia (quod Hieronymus ait) Anathema sit qui dicit deum aliquid impossibile præcepisse: sed igitur inobseruabilia notantur, q̃ non nisi difficulter obseruari queant. Consyderet itaq; q̃ in lege requirant opera, quæ qui fecerit uicturus in illis est: in euangelio uoluntatem expeti, quæ licet effectum non habuerit, non tamen est præmium amissura: consyderet in euangelio præcipi quod bene possumus, ut cõcupiscentiam scilicet et affectus reprimamus, quod in arbitrio nostro situm est. Itaq; iugum istud facit suaue spes certa pręmiorum, onus leue facit ardens amor erga deum. Qui pleno corde diuinæ bonitati fidunt, et ignem euãgelicæ charitatis

Marginal notes: Quadruplex onus. — Math. 11. — Expo. — Iugum xp̃i suaue. — Lex opus euangelium voluntatem expetit. — Actuũ. 15. — Hierony. — Leui. 18. — Sola voluntas meretur.

charitatis animo conceperunt, suaue CHRISTI iugum, leuem arbitrantur sarcinam. Quid insuaue bonæ uoluntati, quid amanti non dulce, quid amarum aut intolerabile si mens bene conscia fuerit et solicitudine uacans, quid commouet aut cõturbat ubi fiducia certa de præmijs æternæ uitæ? Quid ergo est ferre iugum, quid onus huiusmodi portare? Certe nihil aliud est q̃ sponte bene facere, q̃ obseruare præcepta dei, q̃ amore CHRISTI ultro quod est agendum operari: nihil aliud q̃ in CHRISTO IESV pie
, sanctecꝫ uiuere. Qui uero pie uiuere uolũt in Christo, persecutio= 2. Timo. 3.
, nem patientur ut inquit Apostolus. Ecce iugum et onus amore Christi subeundum. AEquissime toleranda persecutio si contingat, in qua nihil eueniet quod non in grande meritum tolerantis ascendet ad dominum: nihil fiet quod uirtuti derogabit modo constet ipsa pia uoluntas. Et hic legis atcꝫ euangelij differentiã attende. Prostitutam enim i persecutione uirginem lex pro corrupta repudiat: quam pro uirgine suscipit euangelium quandiu non peccat ipsa uolũtas. Sub Christi iugo, sub Christi onere laborantem notemus Apostolũ, et nos humiliter adhortantem ut collaboremus:
R. quemadmodum et notat ecclesia per epistolam eius hodie de more
, recitatam In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei mini= 2. Cori. 6.
, stros: in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in
, angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in
, uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in su=
, auitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis,
, in uirtute dei: per arma iustitiæ a dextris et sinistris, sicut egentes
, multos autem locupletantes, quasi tristes semper autem gauden=
, tes, tanq̃ nihil habentes et omnia possidentes, eandem habentes
, remunerationem (tanq̃ filijs dico) dilatamini et uos, Sic Corinthios hortabaĩ Apostolus: per quos et nobis idem consulit. Illis
, aiebat Apostolus Nolite iugum ducere cum infidelibus: nobis 2. Cori. 6.
, Christus ait Tollite iugum meum super uos. Vtrincꝫ cõmone= Math. 11.
mur ut idolorum cultu, ritucꝫ gentilium quo pręcipites ad uitia ferebantur omnino relictis: ueraciter in Christi cultu, salubriter et

recte conuersemur in ecclesiæ ritibus. Commonemur ut (quoad possumus) CHRISTI uestigijs insistamus, uita Christum et moribus exprimamus, in ipso requiescamus, in ipso laboremus, ipsi studeamus, ipsi cooperemur: ut ipsum imitando metuamus, optemus, amemus, ipsum honoremus, ipsum unum omnino spiremus. Ecce suauissimum Christi iugum: ad quod qui nos hortatur Apostolus, a se portatum alibi demõstrat Bonum (inquiẽs) certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo, gloriabor in hijs ut inhabitet in me uirtus Christi. Fui in laboribus plurimis, in carceribus, in plagis supra modũ, in mortibus frequenter, A iudæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus, ter naufragium passus, nocte et die in profundo maris fui: in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in ærumnis, in uigilijs multis, in fame et siti, in ieiunijs multis, in frigore et nuditate: præter ea quæ intrinsecus sunt, instantia mea et quottidiana solicitudo omnium ecclesiarum. Ecce qui collo suo Christi iugum, onus humeris imposuit: ecce qui libenter aspera quæq;, quæq; difficilia frequentius et abundancius pro CHRISTO sustinebat: neq; solummodo sustinebat, sed et leuia, sed iocunda, suauiaq; putabat. Quippe dei spiritus qui intus omnia perficit, qui pugiles suos sua præsentia facit inuictos: aspera quæq;, singula molesta, mollia facit et gratissima. Per hunc spiritum facilia fiunt omnia: fiũt ex duris et grauibus leuia, fiunt ex acerbis dulcia, ex pænosis ualde delectabilia. Hic spiritus qui creauit omnia, naturalem uim omniũ prout expedire nouit, aufert: ad tempus suspendit, aut imminuit. Hic suos omnia facile pertransire facileq; superare facit. Hic Vincentio, Laurentio, cæterisq; martyribus pœnarum intolerabilium tedium alleuabat. Hic Tiburtio carbones ardentes tanq̃ roseos exhibuit. Hic Katherinæ rotas, hic Ioanni baptistæ locustas, Petro et Paulo

Marginalia: 2.Timo.4. — 2.Cori.12. — Ibidem.11. — Operatio spiritus.

,et Paulo crucem, leuissimam effecit. De hoc spiritu sensit Aposto- Phili.4.
, lus quando dixit Omnia possum in eo qui me cõfortat. Ecce quo-
modo spiritus erat in illo. Dicit enim Omnia possum in eo. Cer-
nimus ut ubi spiritus inhabitat, omnia facillime tolerantur. Neq;
pro se tantum id dixit Apostolus: sed pro cæteris quoq; sui simili-
bus, qui CHRISTI fortitudine nixi, fidem quam susceperant
ad mortem usq; seruare tueriq; non cessabant: quorũ singuli quiq;
, dicere poterant Omnia possumus in Christi spiritu qui nos con-
, fortat. O q̃ suaue Christi iugũ erat hijs, q̃ leuis sarcina: qui quot- Ibidem.
quot de Paulo prius enumerauimus, aut plura facile perpessi sunt:
tamen inuictissimi? Dei spiritus omnia perfecit in eis, sed nec am-
pla spes illius æterni præmij defuit: de quo scribit idem Apostolus
, Id quod in præsenti est momẽtaneum et leue tribulationis nostræ 2. Cori.4.
, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quid igitur in causa Pacientiores sunt homines in hijs que corporis sũt q̃ que aie.
S. est cur in rebus alijs suæ uoluptatis habendæ aut doloris euitandi
gratia multi patientiores sunt, q̃ in hijs quæ spectant ad deũ: nisi
q; mundana cupiditas et affectus, illorum oculos excecarit? Vri se
permittunt homines et secari, quo diuturna suppurati tollatur
ulceris acrimonia: minoris pœnæ uitandæ causa multo maiorem
ultro subeũt, tantum ne uitam illa præripiat: et q; pro tempore do-
lere malint acutius, q̃ remisse quidem et diutius. Ponite iam ante
oculos unumquemq; mundi præsentis hominem: qui sibi gerendũ
præfigit aliquid. Vultis incipiam a furibus, latronibus et adulte-
ris? Qꝫ q̃ illaudatum sit et damnabile quicquid fere ab hijs geri- Fures.
tur: labores tamen multos obeunt, multas perferũt excubias, mul-
tis se curis macerant: ut excogitatas a sese nequitias ex sententia
perimpleant. Multo meliora secuti mercatores, pauperiem indo- Mercatores.
ciles pati, quanta (uidemus) ipsi pericula, q̃ magnas et alioqui nõ
tolerabiles procellas, q̃ multiformes tempestates, tonitrua q̃ terri-
bilia metuendaq; fulmina peruadendo non succũbant: ut ad diui-
tias istas citissime perituras sibi pertingant. Minus probe uena- Venatores.
tores occupati non minora pericula ferunt, uix pauciora subeunt
incommoda ut animorum uoluptati seruiant: nulla pluuia, uento

nullo, niue

nullo, niue, grandine, nulla tempestate, nullo uel frigore uel æstu, nulla siti uel esurie retracti quominus bestiolam insequi pergant, quam sæpissime non apprehendunt: sin apprehẽderint, nihil plærũqȝ fructus habet ut quæ non sit usui, sin aliquando sit at iam tamen exoleuit. Quantum ipsis periculum impendet ab equis, e fossis, lacubus, fluminibus, a præcipitijs, ab ipsis feris? Quem cibũ quantumuis uilem et insuauem, non tũc suauissimum arbitrantur? En ut casei frustũ, Petasonis et pernę bolus, morsus fusci duri atriqȝ panis, immo pisæ adustæ cibus tum suauis habetur: aqua lactis tum dulcis potus esse iudicatur. Captura sola uel persecutio uenatores ipsos afficit atqȝ tenet: q̃q̃ nihil inde palato lucrifiat. Tantum est animum explere suum, ubi uoluptas instigat. Quid de militibus et militũ seruis hic subijciendum? Principum animis

Milites.

illi seruiũt in re non periculosa tantum, sed etiam (si poscat) illegitima. Seruo miles ait Vade et uadit, ueni et uenit, fac hoc et facit, Eundo, stando, equitando, currendo, feriendo, patiendo, die noctuqȝ se paratos ostendunt: ut sint dictis audientes sicubi quid imperatum extiterit. Hij, multiqȝ consimiles mundani multa ardua difficiliaqȝ facessunt, nec absterrentur ullo discriminum casu. In hijs omnibus ista facit prona mentis atqȝ uoluntatis inclinatio. Q̃tumuis sæua, quantumuis immitia, quantumuis dura: mitescũt si magnus amor urgeat. Q̃ si tam ardenter ad se rapiat insana libido: quid in pijs, quid in deuotis animis faciet incredibilis æternæ gloriæ delectatio? Sed amor, sed amor amorem sicut clauus clauum expellit. Amore mundano cœlestis, cœlestiqȝ mundanus excluditur. In istis mundanis hominibus nihil superni saporis, in uere religiosis et diuinis terrenæ fœditatis nihil inuenias. Videris hos dei ministros, domi sedentes in cœnobijs, in templis, in locis abditis: solitarios, quietos, modicum laborantes, plurimum requiescentes, futuram modo beatitudinem expectantes: precibus, lectionibus, contemplationibus, sacris tantum et spiritualibus ministerijs attentissimos, humillimeqȝ deo seruientes: dum illi quos diximus procelloso hoc mundo turbulẽtissimi uitam agũt inquietissimam.

Math. 8.

Religiosi.

tissimam. Nunquid hij uia difficiliore descendunt ad inferos, q̃ illi superna regna conscendunt? Iugum istud, onus istud sæculi multo grauius est: q̃ quod suorũ ceruicibus CHRISTVS inijcit. Sed non esse iugum aut onus inquient: qui se carnis ac mũdi uoluptatibus immergunt. Delicijs uti, quottidianis epulis et lautioribns cibis ingurgitari, uino, pinguibus impleri, condimentis ad gulam irrirari, splendide uestiri, cubare molliter, supine laxeq; uiuere, pandiculari, cibo somnoq; distendi, se iocis atq; ludis quibuslibet oblectare non onus aut uinculum sed libertatem unice cupiendam affirmant. Qui si cogitarent corpori quot hinc incommoda fiant (ut exitium animæ quod inde quoq; prouenit haud dicam, qualiter elongantur a deo et deus ab illis) certe perpenderent multas molestissimas ægritudines inde nasci, et ad mortem

T. ipsam deniq; festinari. Contra, cœnobijs et monasterijs inclusi, pij sanctiq; dei cultores omnes, qui deo militant, nunq̃ sæcularib9 se negotijs implicant, nunq̃ mundanis curis macerant, nunq̃ ullis se mundi uanitatibus oblectant: sed tranquillitatem continuam cum corporis tum animi plenissime seruant, dum carnis superbiam potus cibiq; parcitate, somni et ludorum abstinentia domant, dum quiete sed et ardenter ad cœlos aspirant: multas etiam interea corporis infirmitates et incommoda deuitant, uitæ suæ dies adamplant, q̃q̃ id ipsi sibi non præstituant. Quidnam est etiam in terra (rogo) circa quod hij molles et delicati se suauiter habent: quod nõ multo uerius et sapidius experiantur uere religiosi pijq;? Dulcedo ciborum quæ uoluptarijs hijs, gulosis, et luxu diffluentibus est oneri tedioq;: synceriter et uere pijs, abstemijs, famelicis, nec ante tẽpus unq̃ edentibus qualiscũq; semper est acceptissima. Honorem quẽ quærunt, quem sibi fingunt, quem undequaq; toto conatu poscunt homines mundani, soli religiosi uere possident: nec honorem dumtaxat obtinent qui debetur uni uirtuti, quæ licet nemo laudet aut ueneretur, per se uenerabilis euadit: sed illum etiã quem homines sibiinuicem populariter impendunt. Videmus ut monachum monasticam uitam ueraciter agentem, heremitam heremitice ui-

Claustrales.

Religiose ui uẽtibus semp honos impenditur.

remitice uiuentem, fratrem ſpiritualiter et fraterne conuerſantem, preſbyterum ſatis ordini ſuo facientem, religioſum religioſe degentem, ſpiritualem ſpirtualiter et ſancte uitam hic tranſigentem maiore paſſim honore dignentur homines: q̃ potentes, glorioſos, diuites, et ſuperbos mundi proceres. Ipſum hoc uirtus efficit. Virtus omnino, uirtus extollenda. Præmio quod ſibi debetur, uirtus carere nequit. Hæc eſt iugi ſuauitas, oneris iſta leuitas de qua

Math.11. CHRISTVS inſit Iugum meum ſuaue eſt, et onus meum leue. Veruntamem unum inprimis exiſtit incommodum ſub onere iugoq; CHRISTI, quod portantes aggrauat, uidelicet impugnatio moleſta uiciorum. Si liceret pijs mentibus in ſua pietate cõquieſcere, quam nulla perturbaret aut inuaderet aduerſa tentatio: fœliciſſime ſecum agi crederent. Nunc cũ diabolus circũeat tanq̃ leo rugiẽs, querens quem deuoret, nec ſit in terra qui reſiſtere poſſit ei: cum non ſit maior peſtis q̃ domeſticæ carnis inijmicitiæ, non capitalior hoſtis q̃ mundus præſens ſuis inſidijs oppugnans: quid non moleſtiarum inde pio procreatur? Quid caſtitatis amatori grauius, pudicitiæ cupido quid odioſius aut durius q̃ turpium cogitationum occurſus et infeſtatio? Quieſcendo fit anima ſapiens, fit ſtudioſa, fit beata. Iam uirtutibus inſudanti, quid moleſtius q̃ procelloſo cogitatu uiciorum obrui? Sed hic mihi pijſſimus quiſq; conſyderet quid faciendum Petrus admoneat Reſiſtite (inquiens) fortes in fide, ſciẽtes eandem paſſionem quæ in mũdo eſt ueſtræ fraternitati fieri. Confidite, nolite deſperare, nolite dicere ꝙ reſiſtere non poſſitis Deus enim (ut inquit Apoſtolus Paulus) non permittit uos tentari ultra id quod poteſtis. Ergo facite quod poteſtis: et qui uocauit uos (ſicut Petrus affirmat) in æternam ſuã gloriam, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq;. Nunq̃ non effectum dabit quod ſic orare præcipit Ne nos inducas in tẽtationem. Tentari ſinit, in tentationem ſuos induci non permittet. Tentari permittit, ut faciat cum tentatione prouentum. Probat in tentatione ſuos, tanq̃ aurum in fornace. Tentat, ut a filijs ſeruos, et a ſeruis diſcernat aduerſarios, Tentat, ut experiatur an uere diligatis eum.

Marginal notes: Pietati ſtudentium aggrauatio. — 1.Petri.5. — Phũs. — 1.Petri.5. — 1.Cori.10. — 1.Petri.5. — Luce.11. — Cur ſuos de9 tentari ſinat.

, gatis eum Probat omnes filios quos ad se recipit. Prauis itaq; Hebræ.12.
, cogitationibus illico resiste, Principijs obsta, raro medicina para- Ouidius.
, tur cum mala per longam conualuere moram, Paruus error in
V. principio nisi cito rescindatur, fit magnus in fine. Caput serpen-
tis amputa, quod si semel intromittas: corpus simul cum cauda
deuoras. Delectationem, consensus fere sequitur: et consensum
actio. Quare nolito diaboli suggestionibus, carnis illecebris, no-
lito mundi titillationibus et ludribrijs acquiescere. Sicubi tales oc-
cursent imagines, euestigio pro uirili resiste, sta ī acie, neu statione
desere, certa, pugna Ipse tribuet uictoriam certanti, qui coronā
retribuet uincenti. Vnde non est increpandum, non grauatim
accipiendum onus tentationis, non tentationi succumbendum:
sed animose, sed ueraciter consyderandum quas ac quantas utilita-
tes afferat, et qualis consolatio sequatur. Consyderandum quo-
modo nos deus tentari permittat, ut gnari fragilitatis proprię sub-
sidium ab eo quæramus, ut experimentum nostri erga deum amo-
ris exhibeamus, ut occasione tentationis in minoribus si qua ma-
iora præcesserint emendemus: quemadmodum sibi factum decla-
, rat Apostolus Ne magnitudo reuelationum extollat, datus est 2. Cori.12.
, mihi stimulus carnis meæ: cuius exemplo docemur nos ideo sæpe
tentari ne donis acceptis aliquando superbiamus: ut pœna pati- Utilitas tē-tationis.
enter admissa quedam satisfactio sit delectationis acceptæ si quan-
do contingat, uix autem possibile est non aliquantam quandoq;
contingere. Protinus ob id tentatio suboritur: ut utilitas pœni-
tentiæ consequatur. Etenim si non tentaremur, ignoraremus nos-
metipsos et fragilem conditionem nostram: si non tentaremur, nō
perciperemus quid deo debeamus et q̄ necessarium nobis sit auxi-
lium eius, cui cum nihil nos boni faciamus, ipse cuncta perficit in
nobis: si non tentaremur, nesciremus utiq; quid in causa dei face-
re ualeamus: si non tentaremur, haud plus q̄ animantia bruta uel
stipites insensati mereremur, non reuerteremur e pugna uictores,
nō coronam uictoriæ debitam sortiremur Quoniam (quod Apos-
, tolus ait) Nemo coronabitur nisi qui legittime certauerit Meritū 2.Timo.2.
quod uere

quod uere nostrum non est sed dei conferentis, sit ita nostrum si tentati uincamus. Cur itaque tentatione carere cupimus: e qua tot commoda proueniunt? Cur nos ea carere uolumus: quando Christus se tentari uoluit? Triplicem ipse tentationem a baptismo statim admisit, sicut hodierna tradit euangelij lectio: quo nobis baptizatis similem in hac uita pugnam obeundam apertissime præsignaret. Tentator ei gulæ proposuit illecebras, uanæ gloriæ, simul et auaritiæ. Quas omnes non indignanter ipse sustinuit: sed et aptissime superauit. Tentatorem quem ad se uenire et secum disceptare permisit: arte sua peritiaque pugnandi, scripturarum authoritate plane reuicit, a se reppulit et abiecit: ut et nobis similem uiã

Math. 4. superandi patefaceret. Quo repulso statim angeli accesserunt et ministrabãt ei. Iam tu Christiane, fac similiter. Si quod Christo

Ibidem. dixit, tibi dicat inimicus Dic ut lapides isti panes fiant, si suggerat,

Expo. ut asperos ieiunij lapides, præduros abstinentiæ, difficiles quoque pœnitentiæ demutes in leues et pergratos panes insolentiæ, laxitatis, molliciei, leuitatis et curæ corporum: noli omnino consentire. Scito uitium esse quo parentes ante deiecit e paradiso, quo CHRISTVM uoluit sed uincere nõ potuit, quo quottidie mortales inescat, et quos eo laqueo prius apprehendit ad cætera facile mala pellicit. Tentanti responde quomodo CHRISTVS ante X.

Ibidem. respondit Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod

Expo. procedit ab ore dei Non cibus est, non deliciæ sunt corporis quæ

Cibus animę præponendus cibo corporis. perducunt ad cœlum, quo conamur: sed spiritualis alimonia qua pinguescit anima. Corpus, corpus hoc materiali pane refouetur: anima uerbo dei saginatur. Et quanto præstat anima corpori, tanto maior huius nutrimenti q̃ illius habenda cura. Corpore potius q̃ anima pereundum. Corpus eousque fouendum, ut animæ seruiat. Si poscente corpusculo delicijs te semel et gulæ dederis: animæ periculum incurris. Oris, reliquique corporis illectamenta si consecteris, animæ uirtutes a te proijcis: recedit castitas, abit obedientia, fugit diligentia, deuotio proculcatur, subeuntibus ui-

Roma. 14. cijs uirtutes omnes ablegantur: quibus cœlum conscendit. Non

est, nõ est

est, non est regnũ dei esca et potus. Mortalitatis nostræ iam subsidia sunt: sed sæculo futuro nihil horum opus erit. Ideo meditanda sunt nobis potius quæ nobiscum transferentur in uitam illam cœlestem: quales sunt uirtutes de quibus iam diximus, cæteræq; consimiles. Esca uentri et uenter escis: deus autem et hunc et hanc destruet. Vesci cibis non prohibemur: sed fœda libido nobis et luxuries interdicitur. Necessitati pro tempore parendum est, quod cum Ethnicis commune nobis est: at uiciorum nulla debet esse cõmunio. Futurum autem est breui ut deus et uentrem et escas aboleat: quando neq; uenter nos fame torquebit, neq; ciborum ullus usus erit. Saturitas uentris, pinguedo carnis, florida corporis habitudo marcescet: sola uirtus animi clara æternaq; habetur. Hic ista caro uermibus: illic ignibus anima fortasse deputabitur. Deputabitur certe nisi bene uixeris, nisi cœlestem illum panem et cibum uerbi dei, pani materiali corporisq; cibo præposueris. Vis id exemplo discere? Diues ille quem memorat euangelium delicijs simul et diuitijs abundans, cruciatibus æternis erat addictus. Et quænam alia causa fuit q̃ ingluuies, qua carnem pascebat non animam: q̃ splendor epularum et uestitus per quem mundo non CHRISTO uiuebat? Atqui tanq̃ id nescieris, probationem a me expectare uideris. Expectabis ab euangelio, quod hanc rem ita declarat Homo quidam erat diues qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quottidie splendide. Prædiues erat, cui nihil abesse uisum est ad plenam huius mundi fœlicitatem, magni nominis inter homines q̃q̃ obscurus apud deum, et diuino more uiuentes: per mollíciem et splendorem uestiũ comessationisq; magnificentiam ambitioni, luxui, pariter et uoluptati seruiens. Cui dissimillimus mendicus erat Lazarus ex re nominatus, ꝙ uniuersis mundi præsidijs destitutus, dei solius auxilio niteretur: abiectꝰ et inglorius apud homines, sed apud deum nobilis et præclarus: neq; domũ, uestem, cibum, aut prosperam corporis ualetudinem habens. Iacebat enim ulcerosus ad ianuam eius diuitis, et saturari cupiens de micis quæ de mensa cadebant illius, quo uel sic la-

1. Cori. 6.

Breuitas voluptatis quã gula ministrat.

Luce. 16.

Ibidem.

Expo.

Miseria diuitis et lazari felicitas.

trantem fame stomachum placaret. At ipsi nemo dabat: non est admissus ne funesto spectaculo contristaret oculos accubantium et laute gloriose q; uescentium, nemo uisere iussus ut uel mensæ micas impartiret egenti. Quid hanc gulam et gloriolam, quid immisericordiam harum comitem sequebatur? An delicianti diuiti prospere successit, et indigenti Lazaro semper male? Probat euāgelium ꝙ acciderit ut mendicus moreretur et deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ, diues autē mortuus et sepultus in inferno leuarit oculos cum esset in tormentis, et uidens Lazarum in Abrahami sinu clamarit, Pater Abraham pater Abraham miserere mei. Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret lingnam meam, quia flammis crucior. Respondit Abraham refrigerium sero postulatum, refocillandis in uita miseris oportuisse parari: iam uices iustissime commutatas. Voracitas istiusmodi supplicio condemnata. Sed quamobrem linguæ magis q̄ reliquis partibus sui corporis refrigerium optauit? Cur non eque pedi, manui seu capiti refrigerium exposcit? Hæc certe maxima causa uidetur: ut inflicta pœna susceptæ delectationi responderet. In gustu delectationem maximam habet, gustus autem inter linguam et palatum usq; gulam uiget. Vnde qui non immerito præcipuā linguæ pœnam est perpessus: nō abs re quoq; primariu linguæ remediū efflagitat. Nam per quæ quis peccat, per hæc et torquebitꝛ ut scriptū est. Q̄uis anima tota, q̄uis totū corpus ex meritis īfernali supplicio torqueatꝛ: pars tamē illa maxime quæ maxime peccabat, affligitꝛ. Punietur arcte tuus ibi oculus qui potissimū rebus uisis delectatur et delectationis causā inijcit: punietur ibi auris quæ prauarum auditu rerū carnale desyderiū instillat, manus istæ torquebuntur quæ tam faciles ad operandum malum extiterunt, castigabuntꝛ isti pedes ueloces ad effundendum sanguinē, ad mala quæq; perpetrandū. Per has partes stat in primis ut peccata quis enormiter incurrat: propter quod et ardebunt maxime. Neq; solū corpus sed etiā anima punietur ibi. Seu contra deum, hominem, aut creaturam aliam peccatum incurritur, quanto delectatio maior, quāto

Luce.16.

Cur linguæ refrigerium diues expetat

Sapi.11.

Psal.13.

ior, quanto libido fuerit amplior, quanto cogitatus aut actus ini=
, quior: tanto sentienda est pœna grauior Secundum mensuram Deute. 25.
, nanque delicti erit plagarum modus. An hoc quod narramus ad
hunc unum diuitem attinet? Attinet ad omnes ipsius similes.
Vos aulici, uos aulici uitam eius uitæ similem agitis, ipse uestram
hanc uitam ostendit. Quantas uos delicias et splendorem affecta=
mini: quos apparatus coquorum, quæ pistorum artificia, quãta
pharmacopolarum inuenta quæritis? Quas cupedias, quæ aro=
mata, qualia unguenta, q̃ exquisitas epulas, q̃ uaria condimenta
uobis appetitum citatura cõparatis? Nunc hoc, statim illud: iam Quomodo vita diuitis aulicorũ vitæ quadrat.
acre, post illico dulce: tantũ ut dormitantem stomachum prouo=
cetis ad esum, iacentem excitetis, tediũ tedio discutiatis. Ille præ=
cessit ut uel ad sequendum illecti pereatis, uel ab imitando deterriti
salui fiatis. Facit iamnunc hæc aulica turba, quod dities ille sole=
bat: quam uitam hodie degit aula, degebat antea diues. Et quid
ideo formidandum aliud, q̃ ut non disparem uitam par pœna se=
quatur? Ille sepultus in tormentis guttulam aquæ flagitabat e di=
gito Lazari, nec obtinuit: quia non refocillarat eundem egestate
pressum in terris: et quot uos pauperes Lazari non dissimiles ne=
glectim preteritis? quot fame confectos aut alioqui perituros nõ
iuuatis? quot iacentes in ianuis non respicitis? Tuam o gulose
miseriam præostensam in hoc diuite consydera, tuam illius inglu=
uie multo maiorem attende. Per ingluuiem ille damnatus est, in
inferno iacens et clamans non exauditur: et tu qui tibi uiuis, om=
nia tuo uoras aqualiculo in aluo cuncta recondis, qui uullos adiu=
uas, nemini misericorditer impendis, quid aliud expectas? Caue=
to tibi. Cur hæc historia scribitur? cur quæso in euangelica ueri=
tate pronũciatur? cur prædicari iubetur? cur toties in ecclesia ebuc=
cinatur? Frustra et incassum? Non. Cur ergo, nisi ut hoc permo=
tus exemplo, simile periculum deuitare labores? Omni conatu ui=
tanda gula, fugienda superbia: per quas ille perijt. Si tẽtator inij=
micus ita tibi suggerat Mitte te deorsum: si superbiam, si elatio= Math. 4.
, nem, iactantiam aut omnino uanitatem suadeat: repelle iaculum,

 repelle sug=

repelle suggestionem iniquissimam qua deorsum proijceris, qua deuolueris ad improbam de teipso suscipiendam opinionem, ad assentandum tibi. Recordare, recordare qualiter arrogans et iactuosus iste diues induebat purpura et bysso, perditioni proximus. Non est purpura, non est byssus, non holoserica, non torques, annuli: non aurum, margaritæ, non decor ullus uestium qui deo cõmendat hominem: sed solus animi cultus, sola pietas quæ solis uirtutibus inuestitur. Non ornatus qualiscunque corporis te delectet in die iræ et reuelationis iusti iudicij dei: sed una uitæ probitas pro tribunali illo tuebitur. Sed quid dicemus? Ornatum omnem improbandum? nobilibus abijciendum? dicemus esse damnabilem quia damnatus diues eodem usus esse scribitur? Quin non id dicimus, tam in ornamentis omnibus rectam prædicamus habendam intẽtionem: ne propter libidinem, ne propter superbiam aut ostentationem ulla fiat indumenti uariatio. Commendatam ab euangelista uestium uilitatem legimus in Ioanne, reprehensum in diuite splendorem. Vnde colligit etiam Gregorius subtilium et preciosarum uestium ornatũ in peccato esse: quod sermo diuinus tam uigilanter exprimat diuitem bysso purpuraque uestitum apud inferos torqueri. Quod autem magis intentionem quam uestitum ipse respiciat inde patet quod adiungitur, uidelicet Vestimenta preciosa queruntur ad inanem gloriam ut quis honorabilior cæteris appareat: et ob id illic induuntur ubi uideri potest ab alijs. Honestas etiam externa corporis commendatur, luxus omnino uituperatur. Quærendum quod est dignitati conditionique congruum et sufficiens: quod inconueniens et superuacaneum utique tollendum. Quæ inhonesta nostra sunt hijs honorẽ circundamus, ut Paulus inquit. Congruentia uestimentorum, hic honor expletur. Iam si uiri seu mulieres uestimentis efficiant ut leuitatis aut impudicitiæ fiat occasio, si membra maxime tegenda non potissimo modo tegantur: si nimis longa, nimis curta, uel minus apte scissa diuisaque sint: quid aliud inde sequitur quam ut uereri debeant tormenta diuitis, qui cum diuite peccant? Si nolis cum Ioanne uilissime uestiri: saltem congrue uelis.

Ostentatio vestium cauenda.

Z.

Gregorius.

1. Cori. 12.

grue uelis. Habeat unusquisq; uestitum personæ graduiq; cõsentaneum: religiosus religiosum, sacerdos sacerdotalem, sæcularis idoneum. Natalium, dignitatis et officij uarietas, uarietatem permittit ornamenti: modo nihil immoderate fiat aut inconuenienter. In omnibus hijs non usus rerum, sed utentis libido in culpa est, inquit Augustinus. Hanc itaq; tentationem qua uana gloria uel superbia suadetur, doctrina CHRISTI superato: sic superato terciam. Si tentator tibi dicat Hæc omnia tibi dabo si cadẽs adoraueris me, nolito conditionem, nolito accipere: nolito fieri diaboli cultor ut in mũdo cũ diabolo prĩciperis, floreas, aut abundes. Non diuitiæ, non lata prædia, magnificæ ædes, archæ plenæ, non monumẽta preciosa, aureæ torques, lapides preciosi, margaritæ, nõ substantia tẽporalis ulla te iuuabit in aduentu dñi. Nihil horũ certe, nihil horũ iuuabit: sed iusticia qua bene uteris eisdẽ cũ uirtutibus alijs Christianæ uitæ necessarijs. Præfato diuiti nihil horũ defuit, nihil etiam ei de quo Lucas alibi narrat Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, et cogitabat intra se Quid faciam ꝙ non habeam quo congregem fructus meos, et bona mea? tamen ille iacens in pœnis inferorum o q̃ sedulo patriarcham obsecrauit, q̃ solicite Lazarum orauit ut saltem aquæ guttulam immitteret linguæ, præter partes alias afflictæ. Sed cui patriarcha respondit in hunc modum Fili recordare ꝙ bona receperis in uita, Lazarus autem similiter mala: nũc hic solatio fruitur et tu cruciaris In hijs omnibus exaudiri nequis: quia Chaos magnum firmatum est inter nos et uos, ut nec uolentibus transire liceat. Alter ditissimus qui diruit ædificia, diruit horrea facturus ampliora, altiora, pulchriora, thesautizans sibi non deo, dicit animæ suæ Anima iam habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe. Sed quid, nõ patriarcha, non Lazarus, sed ipse deus respondit ei? Stulte hac nocte repetent a te animam tuam. Bene stultum appellitat qui thesaurizat nõ deo sed sibi, bene stultum nominat qui non in deum sed sibi diues est, qui thesaurizat et nescit cui congreget, qui uitæ longitudinem ut labore partis diuitijs abutatur sibi

Marginal notes: Augus. 4. de doctrina christiana. — Math. 4. — Expo. — Luce. 12. — Luce. 16. — Stulticia diuitum. — Ibidem. — Luce. 12. — Ibidem. — Expo.

pollicetur, qui non ad deum uitæ mensuram, diuitias et omnia re-
tert. Ab eo repetent animam qui iudicabunt, qui punient ut me-
retur, repetent angeli tanq̄ terribiles exactores tributorū. Iustus
exultans, spiritum deo commendat: a peccatore qui corpori nimiū
affectus carnem habere cupit indiuulsam, anima repetitur. Si ue-
niat ergo princeps huius mundi, si Mammon accedens dicat Hæc
mundana bona quæ sub mea ditione sunt tibi dabo: repelle, re-
pelle tentatorem. Tantum offert ut ei seruias Dabo (inquiens) si
Math.4. cadens adoraueris me, Cui si nomen dederis, si consenseris, a deo
Math.6. transfugis, nec ei seruire potes: quia nemo potest duobus hijs do-
Diabolus offert aliena ut fallat. minis contraria præcipientibus et uolentibius inseruire. Ille qui-
dem offert nō quæ uere bona sunt, sed falso sic uocata: iniuste pos- A.
sidenda, undecunq; rapienda, auare tenenda, nec ullis pijs usibus A.
administranda. Diuitiæ sunt qualis earum usus est. Iam si nullus
sit usus, quo diuitiæ nobis? cur Christianis obueniunt nisi quæ per
pios usus exeant? Mammona parandi nobis amici sunt in cœlo.
Fidendum bonis operibus nostris, non alienis, ne uirginibus insi-
pientibus assimilemur: quæ paulum olei rogitabant a coetaneis
prudentibus, nec obtinere poterant. Prudentes enim respōderūt
Math.25. ut res poscebat, prudenter Ne forte nō sufficiat nobis et uobis, ite
ad uendentes et emite uobis. Quod cū facesserent, interim clausa
ianua sūt exclusæ, nec unq̄ postea receptæ: quia quod facere debes,
insufficiens est, si sero feceris. Operatio tarda non meretur introi-
Psal.61. tum regni cœlestis. Tempestiue faciendum, quod oportet. Diui-
Expo. tiæ si possideantur, nolite cor apponere: si affluant, distribuite: ne
seruiatis eis, sed facite seruire uobis et per uos aliorū necessitatibꝰ.
Graue pōdꝰ peccati. Excutite pondus auaritiæ, pondus reliquorum omniū peccatorum
abijcite: quæ licet in hac tentatione CHRISTO non obiecerit,
quottidie tamen uobis aduersarius obiectat. Onera mundi, car-
nis et diaboli onera deponenda sunt. Onera sunt hæc grauia, gra-
ue est omne peccatum: immo longe grauius q̄ ut id cœlum, para-
disus, aer, unda, terra portare potuerint, aut uoluerit deus. Non
Luce.10. potuit cœlum, e quo peccantes Angeli statim exciderunt, nec in

aere uel undis remanserunt sed infra terram abierunt: non paradisus unde per peccatū eiecti sunt homines: non terra quæ Dathan Abyron et Chore peccatores abhominabiles absorbens, in uiscera demisit. Aperiens enim os suum deuorauit eos, similem peccatoribus alijs uoraginem interminando. Non dominus portare potuit qui peccatoribus ipsis ait Vos estis onus mihi, ego proijciam uos. Eccam peccati grauitatem. Nolite portare pondera in die sabbati dicit dominus, nolite hoc tempore gratiæ quo quies animi proponitur in uirtute, portare onera peccatorum. O peccati pondus intolerabile, quo fit anima beata dei cultrix, maledicta fornicatrix aduersarij: quo qui regeneratur dei filius, redditur spurius diaboli. Solo nanque peccato filij diaboli sumus. Nolite ergo portare pondus, nolite: quod admittere potestis, sufferre non poteritis. Sectemini Patriarchas, sectemini Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores et beatas uirgines: qui prudenter hoc onus abiecerunt, qui uitam amittere q̃ peccatum committere maluerūt, potius atrociter interire q̃ a CHRISTO separari: id quod Paulus habet, ueraciter adimplentes Quid nos separabit a charitate dei? Tribulatio? an angustia? an ꝑsecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? an mors? Certus sum (inquit ille) ꝙ neque mors, neque uita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura aliqua separare nos poterit a charitate quæ est in CHRISTO IESV. Nihil hos certos et destinatos imitatores CHRISTI, nihil omnino uel retrahere potuit ab implendo dei uoluntatem, uel ad eius uiolanda præcepta, peccata ue committenda pellicere. Abraham, Abraham patriarcha filium ante suum dilectissimum ac unicum immolare uoluerat, q̃ dei preceptum soluere. Iosephus castissimus uincula carceris sustinere maluit, q̃ adulterio consentire. Pudicissima Susanna periculo se uoluit infamiæ potius et lapidationis exponere: q̃ pestilentibus adulteris acquiescere. Diuus Stephanus cur lapidibus obrutus? cur Petrus, cur Andreas crucifixus? Paulus gladio cur trūcatus

Gene.3. Nume.16. Hiere.23. Hiere.17. Hierony. Roma.8. Constantia sanctorum patrum. Abraham. Josephus. Susanna Stephanus.

Apostoli. cur truncatus? Bartholomeus excoriatus? cur Laurentius incēdio consumptus? utquid Dionysius, Vincentius? quare plærique tum Martyres. Apostoli tum Martyres reliqui uarijs martyrij generibus e corpore soluti sunt: nisi tantum, ut quod in primis uotis habebant scilicet creatorem suum non offendere, per omnem aleam et qualiacunque discrimina seruare uolebāt impollutū? Si roges quare sancta Virgines. Katherina, Margareta, Lucia, Agnes, Agathe, Visula, VVenesreda, cur cæteræ uirgines (carne prius edomita) multos præterea corpore cruciatus, et denique mortem sustinuere: respondebunt ipsæ Ne peccantes in dominum deum nostrum, minus erga eum nostro fungeremur officio. Cur illi religiosi, cur heremitæ, Monachi B. tot olim uigilijs, tot ieiunijs, tot amarulentijs carnem usquequaque B. macerauere suam, a corporalibus desyderijs et oblectationibus abstinentissimi? Certe ne dominum deum suum, ne patrem clæmentissimum offenderent. At quid ego feci, qui tot modo diuis Io. bapti. hic annumeratis Ioannem illum Baptistam quo non surrexit ma- Math. 11. ior inter natos mulierum, ferme præterij: quid qui neque Christum diuorum omnium conditorem atque authorem memini? Ille tenellus adhuc puer petijt heremum, ne uitam maculando suam ex cō- Christus. uictu consuetudineque populi, peccatorum oneri subiaceret. Iste triginta tribus annis in terra peregrinari uolens et famem interea, sitim, æstum, frigus, cæteraque perpessus incommoda: mortem tādem crudelissimam ultro subijt, ut abolito peccato præceptum pa- Johis. 14. tris adimpleret, de quo pronunciat Sicut mandatum dedit mihi Philosophorum magnanimitas. pater, sic facio. Quid autem in hijs CHRISTI, christianorūque tam multiplicibus et certis immoramur exemplis: cū ab isto peccati pondere gentilitas etiam ipsa multum abhorruerit, adeo quidem ut philosophi, pagani, infideles complures qui nullam Christi noticiam, nullam doctrinam eius, nullam futuræ resurrectionis aut fœlicitatis æternæ spem habuerunt, hæc nobis tanquam pronunciata certaque relinquerent? Vnusquisque mortem potius eligeret, quam uirtutem offenderet. Maius malum est peccatum, quam seruitus: quam dignitatis, amicitiæ, uel diuitiarum amissio: quam ipsa denique mors.

Ethnicorū

Ethnicorum est hoc dictum, hoc est infidelibus persuasum Melius est mori, q̃ contra uirtutem agere. Laudat Socratem Valerius, laudat Augustinus: ut qui mori maluit q̃ idola colendo peccare. Extollit Cicero, commendat Augustinus Marcum Attilium regulum consulem romanum: qui mortem potius horribilem oppetijt, q̃ fidem Carthaginensibus qui et pœni uocitantur datam uiolaret. Laudantur Anaxagoras, Zenon, Pythagoras, Plato, laudantur alij permulti: qui plurima uirtutis seruandæ uicijq; declinandi causa perfecerunt. Quid o mali Christiani, quid obliuiscimini uirtutis et dignitatis uestræ? Vultis ab Ethnicis in studio uirtutum superari? Videtis, uidebitis ut illi uirtutibus insistunt usq; ad mortem: at uos tamen o miseri Christiani uel ob unius aurei lucrum, immo solidi unius iurare falso, peierare, blasphemare non parcitis. Illi datam fidem uitæ præferebant, uos nummulo posthabetis. Illi rui nulla diuelli poterant ab instituta probitate rectaq; sententia: uos delectationis exiguæ minimiq; causa commodi in peccatum etiã mortale ruitis. Quid ergo, quid dicam uobis? quid nisi quod uestri similibus CHRISTVS ait Remissius erit terre Sodomorum, remissius et tolerabilius gentilibus hijs, q̃ uobis in die iudicij? Væ uobis, uæ uobis peccatoribus, uæ uobis blasphemis. Vobis apertissimũ est os inferni, uobis paratissimæ pœnæ maximæ. Contra forsan dicetis, ut qui preciosissimo CHRISTI sanguine redẽpti potius expectatis, ut in cœli gloriã adoptati, dei filij Christiq; coheredes ascribamini. Certe tantũ debetis illi ꝙ tam ingens in uos beneficium ipse cõtulerit, minus ille uobis ꝙ collati fructũ abieceritis. Redemptionis enim meritum, cõmeritis uestris impeditis. Peccando uos effunditis, quod ipse patiendo contulit. Quapropter ait Qui peccauerit coram me, delebo eum de libro uitæ, in quo scriptus est. O quantum est istud onus peccati quo nõ immerito tollitur a nobis hæreditas æternæ gloriæ, quo deponimur e cœlis et pertrahimur ad inferos, ad tartareas fornaces, immo miserrimi damnatorum efficimur. Hoc propheta bene consyderans, peccati sui conscius mirifice conturbatur, et animo corporeq; comprimitur.

1. Ethi.

Vale li. 8. Socrates.

Augustinus li. de Vera religione.

Cicero li. de officiis.

Marcus attilius regulus.

Math. 11.

Exodi. 32.

primit. Grauitatem ipse peccatorũ non ignorans, magnitudinem offensæ resciscens, miseriam inde suam declarat: in malis undiq; constitutus peiora formidat, at eo totus intendit ut clæmẽtissimus deus pœnam huiusmodi non ad ultionem æternam perpetuet, sed tantũ in uitæ correctionem adhibeat: si nolit hic relaxare, saltem ibi remittat: rogat ut quæ patitur in hoc sæculo, sufficiant. Et ideo facit quod miseria pressi solent. Fortunam hij cœlare non possunt, sed multimodis querelis exprimentes mouent amicos ad condolẽdum. Sic et propheta non subticendo prætetit, sed aperte memorat miserias: primo corporis, mox animæ calamitates, spiritus angustias, et mentis inquietudines. Cum hijs dominij peccatorum pondus: quod ferre non potest adijcit tanq̃ supplex adorans, ut ab eodem liberetur. Iam post hæc diuturnitatem in peccatis et cõsuetudinem, per quam sũma molestia surgit, procedendo subijcit C.

5. Versus. PVTRVERVNT (inquiẽs) ET CORRVPTAE SVNT CICATRICES MEAE, a facie insipientiæ meæ. Cicatrices signa sunt ex uulnere relicta: quæ si recidant in corruptionem et recrudescant, fœdior morbus atq; periculosior emergit, sanieq; cõcrescente, maiori cum discrimine sanitati restituitur. Eo nomine maculas e peccato remanentes propheta designat, quæ si per saporem antiquæ delectationis ad antiqua peccata retrahant: renascũtur animæ uulnera multo incurabiliora. Quamobrem queritur q̃ ipsæ cicacrices regerminent, denuo putrefiant, magis ac magis insurgant per insipiẽtiam suam, queritur q̃ in statum deterrimũ adigatur per istam recidiuationem in peccata, queritur q̃ animæ uulnera grauiora, purulentiora, corruptiora fœtidioraq; sint q̃ unq̃ ante fuerant. Diuturnitas uero et longa consuetudo præcedens corruptionem istam, putredinem et fœtorem sæpissime renouat, in uenenum maius ac isanabilius excrescere facit, et iuxta quod Christus ait in euangelio Fiunt nouissima peiora prioribus. Vade igitur (inquit) et noli amplius peccare, ne aliquid deterius tibi cõtingat. Noli ad eadem sæpe peccata relabi: quibus oborta cõsuetudo difficillime relinquitur. Dixit hoc Christus Iesus Paralytico, qui hieroso-

[Marginal notes: Periculum relapsis impendens. — Math. 12. — Iohis. 5.]

, qui hierosolymis iacebat ad probaticam piscinam cũ cætera mul-
, titudine languẽtium, cæcorum, claudorum et aridorum expectã-
, tium aquæ motum: quæ certo tempore turbari solebat ab Angelo
, descendente uirtutemq; sanatiuam indente: qui uero primus des-
cendisset sanus fiebat quacunq; detinebatur infirmitate. Iam hũc
triginta et octo annos morbo detentum ueniens IESVS illico
sanauit: surgere, tollere grabatum, ambulareq; iussit, et postmodũ
, occurrenti dixit Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare. Ibidem.
Quo prius aperte demonstrat ꝙ infirmitas illa per peccatum infli-
cta fuit, inde ꝙ corporali pœna correctum nec ita resipiscere uolẽ-
tem pœna multo deterior, pœna maneat æterna. Per baptismum
omne peccatum aboletur, et innocentia restituitur. Huius baptis-
mi altera spes non est, sed semel datur. Post hunc sola restat pœni-
tentia, quæ ualde laboriosa est et tabula secunda post naufragium.
Qui uero naui non seruatur integra, tabula difficulter euadit: qui
purgatus in totum a baptismo non se custodit impollutum, diffi-
, ciliorem sub pœnitentia uiam salutis ingreditur. Nam fiunt no- Math.12.
, uissima peiora prioribus: a baptismo pœnitentia ue sæpe pecca-
tum iteratum, fit amplius et insolubilius. Vnde terribiliter infit
, Apostolus ꝙ uoluntarie peccantibus nobis post acceptam noticiã Hebræ.10.
, ueritatis, non relinquitur pro peccatis hostia: sed et ut idem Apo-
, stolus ait, impossibile est eos qui semel illuminati gustauerunt bo- Ibidem.6.
, num dei uerbum uirtutesq; sæculi uenturi, et prolapsi sunt rursus:
, ad pœnitentiam renouari. Est nanq; baptismi uirtus seu proprie-
tas quædam initerabilis, non innouatur quod semel datum est in
baptismo sacramentũ Negat enim hic Apostolus iterationẽ bap-
tismi, sed non excludit pœnitentiam. Renouari est nouũ fieri, no-
, uum autem facere lauachri est. Nobis inquit uoluntarie peccan- Hebræ.10.
, tibus non relinquitur hostia pro peccatis: quia uoluntarie peccan-
tibus hoc est manentibus seu perseuerantibus usq; ad mortem in
uoluntate peccandi post acceptam noticiam ueritatis, id est post
acceptam fidẽ, impossibile est hoc est ꝑdifficile renouari. CHRI-
STVS enim non relinquitur illis hostia qui perseuerant usq; ad
mortem in

mortem in uoluntate peccandi, neq; talibus crux aut eius passio prodesse poterit. Quare peius habet cui contagio recrudescit et cicatrices in nouum morbum erumpunt, q̃ habuit ante quando morbus incepit. Peior illius conditio, qui post receptam gratiam, post acceptam remissionem relabitur ad antiquam impietatem: q̃ qui nondum ad ueram pietatem accessit. Tanq̃ bos ruminans aut potius canis rediens ad uomitum, est omnis impius relapsus ad impietatem suam. Auctior enim interim et torrentior fit impietas illius. Quo maiorem erga indulgentissimam dei clæmentiã demõstrat ingratitudinem: eo fit detestabilior et indignior noua remissione. Homo seruum suũ uenia iudicat indignum, qui post ueniam recurrit in peccatum: uita medicus reputat indignum, qui post receptam sanitatem rursum se letaliter euulnerat: et deus eodem pacto sua gratia dignum non habebit, qui remissionis beneficium haud consyderans, ad antiquas se sordes retro uolutat. Quis ei parcet qui non sibi parcit? quis fauebit qui sibi non fauet ipsi? qui sponte se lædit aut uulnerat, qui sanatum uulnus innouat ex industria quis ei condolebit? Peccator autẽ ad eadem iterato peccata lapsus non sibi fauet, se lædit, se uulnerat, Quamobrem cessa christianæ cessa, cessa quisquis peccare consueuisti, solitus cadere iam sta, siste gradum, ad peccata nolito regredi. Si pergas enim in peccatis, si recidiuas aut frequenter ad eadem recurras, septem præ cæteris incurris incommoda. Primo surgit ex hac reiteratione rebellio quædam pœnitentiæ cõtraria: quæ malæ consuetudinis comes est indiuidua. Consuetudo uero tanq̃ altera natura est. Peccata nanq; licet grauia, licet enormia, cum in consuetudinem ducantur: parua aut nulla creduntur ut ait Augustinus. Malis assuefacti, grauissima pro leuibus habent et omnia contemnũt. Recte mox operandi difficultas inde nascitur, et cæcitas iudicij. Sicut etenim ualitudinarius recuperando sanitatem remisse quidem et debiliter operatur: sic qui peccando spiritualem partem habet infirmam. Et quemadmodũ febre laborans quæ sapidissima sunt putat insipida: quæ iocunda, lauta, suauia iudicat acerbissima: quæ ualde salubria,

D. D.

Septem incõmoda praue cõsuetudinis

Phũs.

Augus.

salubria, saluti contraria: neq; quicq̃ gratum habet nisi quod debilitati sui pectoris applaudat: sic peccandi consuetudine uictus summam peccandi uoluptatem arbitratur, quae dubio procul est amarulenta et finem habens absynthio minus dulcem: ac contra, poenitentiam existimat amarissimam, quae reuera est suauissima. Sed huius dissuetudo amaritudinem: illius consuetudo delectationem efficit. Sane peruersum est et corruptum utrinq; iudicium uel quo uoluptas arridet, uel quo poenitentia recusatur: quale est aegroti nauseantis in cibo saluberrimo prae uariatione gustus et pectoris inquietudine. Non quod aegroto sed quod sano sapit, est reuera suaue: sicut unice uera uoluptas est, quã mentes incorruptae probant. Cuiusmodi est uerus amor CHRISTI, gaudiũ recte uitae et immaculate, testimonium purae conscientiae, studium scripturarum, meditatio uirtutum, condelectatio spiritus, disciplina carnis, fuga uiciorum, deliciarum abstinentia, contemptus diuitiarum, et totius uitae mundanae conculcatio. Haec sunt, haec sunt certa signa salutis, haec illius uerae uoluptatis plenissima, haec omni saccaro melleq; suauiora. Deinde permagna pronitas ad male operandũ ex recidiuatiõe oritur. Quoniam natura procliues sumus omnes
, ad peccandum, quorum Sensus et cogitatio prona sunt ad malũ Gene. 8.
, a iuuentute: sed longo usu fit magnitudo quaedam et acrimonia pronitatis huius. Ex multis actibus generatur habitus, ex multis Phũs.
actionibus frequenter et consimiliter iteratis aggignitur: et ex eodem habitu mira facilitas operandi paritur. Actus imperfecti praecedũt habitum, faciles et perfecti sequuntur. Itaq; natura pronus ad uicium, fit ex habitu cõsuetudineq; multo pronior. Quanto qui peccare sueuit iterareq; peccatum, dominio diaboli fit magis obnoxius: in quod cum tam saepe deueniat multo difficilius elabitur. Nam ubi ipse relabitur in peccatum: sic et aduersarius reuocans in dominium ubi libet ingreditur ad eum, uti ad rem a se
, possessam: sicut ibi Mattheus innuit Cum spiritus immundus ex Math. 12.
, ierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem: et non Expo.
, inueniens, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui Veniens

inuenit domum mundatam et ornatam, et uadens assumit septem spiritus alios nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt nouissima peiora prioribus. Spiritus immundus seu tentator diabolus, qui per baptismum excluditur ab hominibus: inter eosdem ut peccata suggerat obambulat. Sed quotquot uere baptismi uotum obseruant: in eis nullam requiem inuenit. Qui post baptismum ad scelera recidunt: ad eos ipse reuertitur, in eis idoneam habitationi suæ domum inueniens. Templum dei, domus spiritus sancti sũt, q̃diu manent incorrupti: quando rursum se peccato fœdant, fiũt domus ipsa diaboli. Reuerti tamen uolens aliquando fallitur: dũ pro domo sua non suam accipit. Si quis a baptismo peccet: ad eũ se reuerti posse putat. Cæterum ipse si per pœnitentiam peccata deleat: rursus eundem extrudit. Ille se uidens illusum ꝙ non sua domus esset quam crediderat, ꝙ contritione confessioneq; mundatam, humilitate, patientia, castitate, abstinentia, liberalitate et alijs bonis exornatam operibus inuenerit: tanq̃ iracũdior et insultantior, alios sibi septem se fortiores adiungit. Facit quod facere solet, qui deturbatur e domo sua. Nempe prætergrediens illam ait intra se, domus hæc mea fuit: neq; desistam donec eamipsam mihi recipiẽs, reingressus fuero. Sic dicẽs, suos sibi quærit amicos, quorũ ope facilius redeat in rem suam. Sic reuera dæmon ipse qui per unũ aut alterum peccatum iam ante possedit hominem, exclusus: si nõ per idem redire possit, omnia septem peccata sibi sociat, ut si non hoc aut illo queat, saltem aliquo uincat. Ipsa uero capitalia peccata sunt ipso diabolo perniciosiora. Diabolus enim solum sibi proprijs agit: quæ carnis et mundi sunt, titillando supra diabolum aliquando possunt. Si non Superbia possit, si non Ira uel Inuidia superare: Gulam, Auariciam, segniciem et Luxuriam adiungit, ut hijs saltem subigat ab alijs inuictum. Est ubi diabolus ad bonũ instiget, ut in finem malum deniq; præcipitet: moueat ad pietatem atq; religionem, ut per omissionem, per negligentiã ad maius peccatum pertrahat. Cæterum peccata semper obsunt, et ad ea solũ pelliciunt quæ nocitua sunt, licet sub facie delectabili surrepant.

E. Quare o prudens et cordate Christiane fac diabolum, fac spiritus
E. hos malignos excludas: fac ut semel exclusos iterũ introire ne permittas, exclude inquam, reingredere, fac tu quo minus ipsi redire possint, fac ne per possessionis diuturnitatem aliquid iuris in dei templo uendicent. Nam si rediens diabolus introire potuerit: fossam atq; uallum, omnia defensamina tutius ac ualidius instaurabit, omnia callidissime circunmuniet, ut uel omnino non possit, uel difficillime repelli: non adeo dissimiliter militibus in castris, e quibus si semel hostili robore deturbati fuerint, recuperata fortius ac
, munitius undiq; tuentur. Quando fortis armatus custodit atriũ: Luce. 11.
, in pace sunt quæ possidet. Fortis armatus est diabolus, qui delusã Expo.
a se naturam humanam fortiter et secure possidet: nisi fortior eo superueniens uicerit eum, et arma diripiat quibus affidit atq; præualet. Eius arma peccata sunt: quæ si cum diabolo semel excludas, Arma diaboli.
et iterato postmodum introire sinas: exitialis illius militiæ princeps diabolus te uigilantius obseruat, certas agit excubias, stationarios uigiles adhibet, maioribus te uinculis astringit, arctioribus nodis implicat, laqueis inextricabilibus irrhetit, et omniquaq; cir-
, cũspectat, ne de possessione sua rursũ elabaris: sicq; nouissima tua Ibidem.
, fiunt peiora prioribus. Diabolum itaq; semel expellito, peccata simul excludito, neutiq̃ in te redire sinito: domum tuam nusq̃ occupent, pacificam habitationem in ea nunq̃ inueniant. Non inuenient plane, si mundatam domum et ornatam uiderint: sin expositã turpitudini, deturpant illico, spoliant atq; fœdant, omni spoliant ornatu. Domus hæc ornatur humilitate, charitate, patientia, industria, abstinentia, liberalitate, castitate, choroq; uirtutum aliarũ: quibus te diabolus si cum militibus irrumpat, usq; depriuat. Per hunc superbiæ cædit humilitas, inuidiæ charitas, iræ patientia, pigriciei diligentia, gulæ abstinentia, liberalitas auariciæ, luxuriæ castitas, et uicijs omnino uirtutes. Tanta tunc uiolentia custoditur atrium: tanta tunc cura seruatur homo per peccata possessus a Sathana. Nulla facultas euadendi, nulla possibilitas nisi per pœnitentiam, per ueritatem contritionis, per strenuos conatus et labo-

 res inume-

Math.7. res innumeros. Difficilis et ardua uia qua peruenitur ad aſtra: fa=
Vergilius cilis autem deſcenſus auerni, noctes atq; dies patet atri ianua ditis.
Math.11. A diebus Ioannis baptiſtæ regnum cœlorum uim patitur, et uio=
Expo. lenti rapiunt illud. Vis iſta fit per pœnitentiam, quam Ioannes
prædicauit: poſt Ioannem CHRISTVS, a CHRISTO præ=
ceptum eandem prædicandi ſuſceperunt Apoſtoli: quos ſecuti do=
Reſiſtendum diabolo. ctores et diſcipuli pœnitentiam abhinc omnes prædicarūt. In hac
ergo Sathanam expellite, expulſum ablegate, nec ad uos poſſiden=
Epheſi.6. dos regredi permittite. Vos hanc armaturam induite, ut poſſitis
ſtare aduerſus inſidias diaboli: hanc galeam ſalutis aſſumite, ſpi=
ritus hunc gladium, hoc ſcutum fidei, hanc loricam iuſticiæ: ut
poſſitis reſiſtere, et in omnibus perfecti ſtare. State ſuccincti lum=
bos in ueritate, calciati pedes in præparationem euāgelij, quo poſ=
ſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Circuit aduerſarius
ueſter, mille per meandros adoritur: ubi datur, fortiter inuadit.
1.Petri.5. Cui reſiſtite fortes in fide inquit Petrus, reſiſtite: pugnate per pœ=
nitentiam ueram atq; ſimplicem: eſtote fortes in hoc bello pugnā=
Math.10. tes cum antiquo ſerpente, eſtote prudentes ſicut ſerpentes, ut hu=
ius callidiſſimi ſerpentis impetum atq; fraudē excludentes ab om=
ni reditu ſuſpendatis. Quinto frequens relapſus in peccatum ſeu
peccandi conſuetudo, futuram pœnam facit multo grauiorem.
Auguſ. Nullum peccatum tranſit impunitū, ut inquit Auguſtinus: et quo=
ties idem denuo committitur, toties eadem pœna multiplicatur.
Quo plura ligna ponuntur in igne noſtro, tanto maior et feruen=
tior excreſcit et urit acutius: ſic pro qualitate proq; modo peccato=
rum exardeſcit ignis infernus. Ignis enim illius materia, peccatū
Alanus. eſt. Subtrahe ligna foco ſi uis reſtinguere flammā. Vitanda pec=
cata, ut pœna uel tollatur uel minuatur. Semel in latrocinio depre=
henſus, dignus morte iudicatur: ſingulari tamen eccleſiæ miſericor=
dia, et principis ac ſenatus clæmentia, ſæpe dimittitur. Verum cā=
denti ferro manui ſignum imprimitur: ut ſi recurrat ad ipſum fa=
cinus, mortem extra miſericordiam hauddubie luat. Multo miti=
us, in immenſum gratius nobiſcū agit deus, qui in foro illo ſecreto

nō ſemel

, non ſemel tantum, non bis, non ſepties: ſed ſeptuagies ſepties, Math.18.
quocieſcunque quis peccauerit modo pœnitentiam ſimul egerit, cõdonat. Verum ſi mors impœnitentem occupet, tanto duriora ſupplicia ſuſtinebit, quanto plura peccata perpetrauit, uel quo ſæpius eadem admiſit. Cauſæ propter quas inprimis aggrauantur pœnæ ſunt ingratitudo aduerſus deum qui tanta beneficia contulit, uiolatio fidei quæ data eſt i baptiſmo, uiolatio fidei factę in ipſo præſente foro: ſumma negligentia qua non perpendimus multiplicem obligationem per quam CHRISTO nos aſtrinximus, et ipſe nos demeruit: ſuis beneficijs ſibi nos obligauit. Si quid ſit noſtrũ, quo blandimur nobis, debemus id CHRISTO: ſub cuius per-
, ſona dicit Apoſtolus Quid habes quod non accepiſti? Si quid 1. Cori.4.
, peccauimus, ipſe remiſit qui dicit Ecce iam ſanus factus es, noli Iohis.5.
, amplius peccare. Nolimus ergo peccare, qui tot modis obligati ſumus ad non peccandum: nolimus ad peccata reuerti ne nobis maior pœna redundet. Obligatio quidem ad fidem ſolummodo ſeruandam ordinatur: interminatio pœnæ, quo fiat eadem terribilior. Iam quanto frequentius obligaris, tanto maius damnũ imminet infringenti: quo ſit interminatio multiplicior, eo ſupplicium grauius inſtat, ſi non obedias. Vouenti nanque caſtitatem libido fit exitialior, quam cæteris qui ſunt a uoto liberi: quod duplex obligatio ſimplice ſit arctior et ualidior. A baptiſmo tenemur omnes ad recte ſancteque uiuendum: ſed accedente nouo uoto magis aſtringimur. Vnde uotarijs quam uoto ſolutis impendet pœna multiplicior. Qualiter ſe peccatores obligent.
F. Omnes tamen ut a recto deuiant, ita ſupplicia ſibi multiplicant.
F. Quorum omniũ loco propheta dicit Putruerunt et corruptæ ſunt Littera.
, cicatrices meæ. Res duæ faciunt ut cicatrices redeant ad putredinẽ
, Imperfecta curatio, et innouata læſio. Perfecte uulnera non curat, qui tantum acta refrenans, a turpibus ſimul et fædis cogitationibus non abſtinet: ſed ſe paſcit et oblectat in obſcœnis, deteſtandis et diabolicis delectamentis. Sunt enim hęc ueſtigia quædam et reliquiæ præcedentium actionũ, et ad iterationem facile pertrahent atque conſuetudinem, ni deuites. Conſyderantibus uitam hominũ Duplex cauſa renouationis cicatricũ.

 hoc eluceſcit,

hoc elucescit. Capulares istos senes aduerte mihi, quid etiam in extrema senecta faciant. Nonne uitæ perperam actæ memores, cũ iam nihil omnino possint: impudicissima sæpe uerba conferunt? et tanq̃ soliti pruritus impetu ferunt̃ in id quod explere nequeũt? Vt coruos a cadaueribus satietas ipsa non repellit: sed ad uomitũ etiam ingurgitati, loco tamen manent, tanq̃ ipso halatu ipsoq; uisu depasti: sic isti continui peccatores, quibus facultatem insaniendi per senectã naturalis tollit infirmitas, fœdo cogitatu turpiq; sermone speciem uoluptatis antiquæ retinẽt et perpetuãt. Muscæ, muscæ macella frequentantes, ad lanienam, ad penarium uolitantes ut ibi non carnes solas ingurgitent, sed corruptum ab eisdem aerem etiam hauriant, haud abstinent donec per repletionem tardæ flabello trucidentur: sic et impinguati peccatores a prauis et impijs cogitatis atq; uerbis quibus se pascunt, non cohibent̃: donec flagellum dei comprimat, donec ad inferna merito detrudat.

Occasio mali summopere Vitanda.

Non solum qui agunt impie, sed et qui mala cogitant ac loquuntur, damnari merentur. Peruersæ siquidem cogitationes (sicut scriptum est) separant a deo. Non plene peccata deuitat, qui non occasiones ipsas peccandi declinat. Ipsa siquidem occasio multos stabiles et constantes uiros male permouit, grauissimeq; detorsit.

Sapi.1.

Non concupisces, non mechaberis ait dominus, Si quis uiderit mulierem ad concupiscendum eam, mechatus est in corde. Quam ob rem recedite a tabernaculis peccatorum, nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. Prius redigite uosmetipsos in certum ordinem iuste pieq; uiuendi, mox quæ in alijs male habent euitate. Fugite cunctas peccati circunstantias, perditorum hominum colloquia fugite, fugite suspectorum et ociosorum habitacula, fugite tabernacula peccatorum, omnem fugite societatem iniquam et suspectam, suspectum locum, suspectam personam, temporis oportunitatem, omnem mali occasionẽ omnino declinate. Nam qui tangit picem coinquinabitur ab ea Et amans periculum peribit in illo. Quomodo manum mittes in ignẽ, ut non ardeat? Multo est difficilius oportunitatem habere peccandi, et in ean-

Exodi.20. Math.5. Numi.16. Expo. Eccle.13. Eccle.3.

, di, et in eandem sæpe deuenire: nec peccare. Spiritus enim prōp= Math. 26.
, tus est, caro autem infirma Et quod natum est ex carne, caro est. Iohis.3.
Non ceræ facilius signum imprimit: q̃ carni malus affectus. Sæpe cicatrices foris obducuntur: quando uulnera non sanantur intus Vnde sanies uirosior accrescit, et turgescentibus denuo cicatricibus periculosius erumpit. Sic et peccatum quod ore tenus frigideq; cō= fiteris et oscitanter exprimis non abijciens ipsam peccandi uolū= tatem, sed delectationem quandam et relabendi cupiditatem reser= uans: maiorem animo ceu putredinem et saniem agglomerat.
Quapropter Esaias perfectam animæ sanitatē expetens admonet Esaiæ.1.
, Lauamini, mundi estote, auferte mala cogitationum uestrarum Expo.
, ab oculis meis. Lauamini (inquit) et mundi estote. Pœnitentiam ecce ueraciter expressam. Lauatur enim qui præterita plangit pec= Mr. in.4. dis.14.
cata, mundus est qui plancta non iterum admittit. Qui quæ plan= git non plene deserit, sed et denuo post lachrymas perpetrat, laua= tur: at non est mundus. Mala cogitationum auferre iubet: quo= niam prima cura cordis habenda est, unde cogitatio nascitur: quod si non perfecte sanetur et integre habeat, non est illa consummata
, sanitas. Auferte (inquit) mala cogitationum ab oculis meis. Cur Esaiæ.1.
ab oculis suis auferri iubet, et quid per hos oculos uult? Ideo dicit, q multi qui boni foris apparent, mali sint intus. Boni uidentur
, hominibus: qui deo tamen sunt manifesti. Sunt tanq̃ sepulchra Math.23.
, dealbata quæ speciosa sunt aforis, intus autem ossibus mortuorū
, et omni spurcitie plena: quibus sub corpore pulchro sordescit ani= ma et putet. Iam homo qui secundum faciem iudicat, sæpe iudi= cando fallitur: ubi deus qui corda uidet et scrutatur renes, infalli= bili iudicio cuncta perficit. Nimirum homines adeo cæcutiunt ut nec ipsi seipsos sæpissime pernoscant: non sua scelelera uideant, grauitatem peccatorum ignorent, futuram dolorū amaritudinem haud persentiant. Tantum potest externa facies, quæ taliter ho=
G. minibus imponit. Eadem insipientiæ facies est per quam interna
G. ueritas impeditur, iudicij certitudo tollitur, nulla perfecta cogni=
, tio comparatur. Quare propheta dicit Putruerunt cicatrices a fa= Littera.
cie insipi=

cie inſipientiæ meæ. Per hanc inſipientiam ſtat ut nec deum ſciam, nec meipſum intelligam: non uulnera præſentia uideam, neq; futura ſupplicia cernam: non breuitatem uitæ ponderem, neq; longitudinem pœnæ conſyderem. Vtinam, utinã (ait Moſes) ſaperent et intelligerent ac nouiſſima prouiderent. Vtinam mundani peccatores præuiderent uentura pericula peccatorum, utinam cogitarent q̃ breuis, q̃ exigua præſentis uitæ delectatiuncula ſit, q̃ umbratilis et ficta uoluptas: q̃ breuis ſuperbiæ iocunditas quæ per abſentiam hominum tollitur, q̃ exilis gulæ delectatio, luxuria q̃ cito finiatur: et q̃ longa pœna rurſus maneat inpoſterum, q̃ iniqua q̃q; dura permutatio, qua pro minutiſſima libidine gaudium hic internum tranquillæ conſcientiæ, ſempiterna requies infuturum amittitur. Momentaneum eſt quod delectat, momentaneum: æternum quod cruciat. Parua concubitus hora, pro qua perditur uita æterna. O q̃ exilis delectatio, quam pœna tamen immenſa ſequitur. Vtinam peccatores, utinam nouiſſima præuiderent, utinam iam uiderent et proſpicerent quid in futuro iudicio reſpondebunt, qualiter intolerabilem (ſi cõmereant) pœnam ſuſtinebunt: utinam uel digitum in ignem inijcerent, ſic ſaltem experturi qualiter ferre poſſint infernalem illum: utinam pœnarum æternitatem, ſeruitutem et miſeriam hanc infinitã attente præcogitarent. Non ægeſtas quam in hoc mundo patimur, non aduerſitas ulla qua premimur, nullum infortunium quo terremur, non humilitas generis aut uilitas conditionis, nullus corporis morbus: ſed ſolus morbus animi quod eſt peccatum, miſeros facit homines Miſeros facit populos ſolum peccatum. Refrena tu libidinem, ſperne uoluptates, iracundiã reprime, coerce auariciam cæteraſq; labes animi expelle, et nihil in mundo quicq̃ te rediget in miſeriam: cũ mens tua deſierit improbiſſimis dominis turpitudini et dedecori ſeruire, nihil, nihil obſtabit quo minus fœlix atq; beatus appelleris, Si nouiſſima præuideres, ab iſtis facile caueres: ſi præceperis animo gehennalem horrorem, non incideres in mundi laqueum. Oſi quod Paulus ait intus in animo ſæpiſſime uerſares, Oſi quod ipſe de ſe dicit,

Margin notes: Deute.32. — Expo. — Quid peccatoribus cogitãdũ. — Gregori. — Auguſ. — Prouẽ.14.

et tu

et tu de te uere diceres. In te nanque uerius est, quam in ipso fuit quod ait
, Infœlix ego homo, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Roma.7.
Liberari cupit de corpore mortis. Corpus autem mortis appellat, Expo.
, corpus peccatis obnoxium: de quo scribit alibi Video legem in Ibidem.
, membris meis, repugnantem legi mentis meæ: uideo peccandi
H. pronitatem membris passim meis ispersam, e qua quod euolui uel eri-
H. pi non possem, dicere cogor quod in psalmo sequitur MISER 6.Versus.
, FACTVS SVM, ET CVRVATVS SVM usque in finem,
, tota die contristatus ingrediebar. Miser ego, omnium hominum Miseria hominum.
miserrima condicio est: quibus peccata dominantur. Quis omnes insuper hominis miserias enumerare poterit, cuius tota uita sola miseria est? Corpus miserijs inuoluitur innumeris, anima nunquam uacat a miseria: totus homo perpetuus quidam miseriarum cumulus. Quisquis es o homo præterita recordare, præsentia consydera, futura respice: et quod aio, uerissimum inuenies. Præterita pudorem, præsentia dolorem, et futura metum incutiunt. Eras honore gloriaque prælustris, in amenissima terræ parte super omnia dei opera constitutus, beatissimam in ipsa paradiso uitam et malorum omnium expertē agens, domini Sabaoth domesticus, familiaris et conciuis angelorum. Iam quis (oro) pudor, quantū et quale dedecus, merito tuo te nunc ab hijs omnibus esse deiectum: in hunc afflictionis locum, in hanc uallem miseriarum: ubi labor, ubi timor, ubi dolor est? Hijs profecto tribus uocabulis tres miseriæ species innuūtur, ad quas omnia alia miseriarū genera reducuntur. Quantus autem dolor oboritur, istanc tam magnam iacturam modo recogitanti? Qualis et quam ingens metus ingruit, quandiu dubitas an illuc unquam uel in cœlum reuolare debeas? Diligēter ista, si diligenter perpendas: non superbiendi uel mundanis inhiandi, sed de peccatis ingemiscendi præbebunt occasionem. Si consyderes quid ab inijcio fueris et quid iam factus sis: qualiter in exortu caruncula putris, in uitæ progressu bulla, sub ipsa morte uermium esca: tibi gloriæ nihil assumes, sed eam dumtaxat gloriam quæ a solo deo est quæres, qui miserias et infirmitates nostras ultro tulit,

factus

Ad Phil.2. factus obediens pro nobis usq; ad mortem et cõtumeliam crucis. Miser itaq; factus sum ait Propheta: ualde miser qui quottidiano labore premor, qui timoribus affligor, et dolore nimio perturbor: sed multo miserior qui dei præcepta neglexi, qui domini tam clæmentis et benigni uoluntati non inseruiui, dum frequenter in peccata corrui. Quod beatus Iob in cunctis hominibus, in ipso genere humano uerissimum esse demonstrat
Iob.14. Homo natus(inquies) de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs.
Expo. O q̃ uerum istud uerbum est? Cæterum neq; uerba nos hoc docent: sed uerbera. Quot enim flagellis quottidie nos affligimur? quot asperitatibus territamur? quot crebrescentibus undiq; ruinis distringimur? quot ex omni parte malis urgemur? Quæ qui uiderit et acute pensitarit: miserrimos nos esse clare perspexerit. Natum ait de muliere, natum de fragili fragilem, mortalem ex mortali, misellum e misera, peccatorem ex peccatrice. Ecce enim(inquit alibi)
Psal.50. in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concæpit me mater mea. In iniquitatibus conceptus, in peccatis natus. Sordidissima materia fuit ex qua productus sum, mater misera quæ produxit. Parturiendo mater indolet, nascendo plorat infans, et ortum auspicatur a ploratu. Matris in partu dolorem, sequitur filij per totam uitam dolor et miseria. Multo cum discrimine infantia prodit in lucem, mox destituta manet et uarijs obnoxia periculis: incerta puericia, fugax adolescentia, iuuenta præceps, ætas uiri caduca, senecta tædio plena. Singulas, singulas has ætates sexcenta morborum genera multoq; plura molestant, neq; pauciores casus impetunt: uenena, ruinæ, insidiæ, bella, naufragia, ferrum, crux, ignis, aqua, lapsus, terræmotus, fulmina, quid non? Nihil autem horum incommodorum eueniat, sola cuipiam uoluptas accidat:
Iuuenalis. quæ tamen rara auis in terris nigroq; simillima cygno: at caueat, ut inde sibi blandiatur, audiens quod in uerbis patriarchæ subditur
Iob.14. Breui uiuens tempore. Breuissimũ est omne id temporis quo
Breuitas uitæ humanæ. uiuitur. Vita breuis et incerta, mors uiolens ac subitanea. Qualis ergo uoluptas existimanda si qua contigerit? quis in ea sibi blandietur

dietur quæ tam parui temporis est, immo quæ uix horaria seu mo-
, mentanea potius dici meretur, si futurum æuum introspicias? Sta- Hebr.9.
, tutum est omnibus semel, et cito mori: iudicium hoc datur omni
carni, paulisper hic agere et statim emigrare. Complures insani
sentiunt, si centum hic annos iocunde prospereq; transire possent:
fœlicitatem eandem fore sibi. Qui si centum etiam annorum mil-
lia uiuerent et florerent: quid hæc ad futuram æternitatem? Nu-
merus q̃tumuis multus si certus tamen et finitus, ad finem illum
aliquando deueniet: finem uero nescit æternitas, Bonos autem de
deo rebusq; diuinis recte sentientes, gaudij manet æternitas: ma-
los æternitas pœnæ. Iam q̃ sana (rogo) cupiditas ut tantisper hic
delecteris, et æternum postea cruciens? Sed an hæc uita tua est Iob.14.
usquequaq; delectabilis interim et grata? Iob omnino negat. Calamitas se... nno vite.
, Repletur enim (inquit) multis miserijs. Quis repletur? An ego?
tu? an ille solus? Non, non: sed homo simpliciter. Repletur om-
nis homo miserijs istiusmodi, uita hominũ tota misella est. Misera
ante ortum, in ortu misera, et misera post ortum. Laborat hinc
corporis, mẽtis inde miseria. Miseriam patitur in uigilia, patitur in
somno. Non uacat eadem edens, bibens, ludẽs, aut aliud quid-
uis agens. Miseria, miseria est: miseria quaquersum te uertis. Mise-
ria in laboribus et ærũnis, in uigilijs et ieiunijs, in fame et siti, in 2.Cori.11.
frigore, æstu et nuditate, præter illa quæ intrinsecus sunt: miseria
in periculis terræ marisq;, miserum est uersari inter astutos et ma-
liciosos homines. Homines hominum causa generati sunt ut ip-
si inter se alijs alij prodessent, ut communes utilitates in medium
afferrent, mutatione officiorum dando accipiendoq;, ut tum ar
tibus, tum opera, tum facultatibus deuincirent hominũ inter ho-
mines societatem: at ipsi tamen malicia sua societatem istam mul-
I. tis modis infringunt atq; uiolant, dum sibi uiuunt, dumq; rebus
I. suis unice student. O q̃ molestum est hic diu uiuere ubi malitiæ
, plurimum uiget, bonitatis et amicitiæ paululum: ubi non est ue- Osee.4.
, ritas, nõ misericordia, non scientia seu sapientia: sed maledictum,
, mendacium, homicidiũ, furtum et adulterium inũdant? Q̃ gra-

ue q̃ gra-

ue,q̃ graue est illic detineri ubi cuncta lubrica,cuncta uiscosa,tene-
Eccle.1. bricosa, laqueis et insidijs plena? ubi uanitas uanitatum et omnia
uanitas? ubi corporis interitus et afflictio spiritus? ubi continua
sunt animarum horrendaq; discrimina? O q̃ insuaue iugum Ada-
mi filijs impositum est, quibus hic uiuere labor est et mori timor?
q̃ graue pondus illis, quibus ipse uoluptatis usus oneri est,et tamẽ
eiusdem ardentissima cupiditas? Voluptas certe, uoluptas onero-
sa est: quæ frequentari sustineri ue nequit nisi fatigando corpus,
ut alterna requie semper indigeat: qua nisi foueatur hauddubie
consumitur et perit. Neq; tantũ potest ulla quies, quin pedeten-
Iaco.4. tim uoluptas ipsa corrũpat. Quæ est igitur uita nostra? Vapor
est (inquit Iacobus) ad modicum parens, deinceps extermina-
bitur, mox euanescet. Vita nostra, uita misera, uita dura, uita
acerba, cæca, ærumnosa, uita malorum: quam uicia pulsant,
quam dolores extenuant, timores obnubulant, ardores exiccant,
aer inficit, escæ inflant, humores perturbant, inediæ macerant, io-
ci soluunt,tristiciæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebe-
tat. Diuitiæ tumidos reddunt, paupertas pusillanimes deijcit:
iuuentus extollit, senectus incuruat: infirmitas frangit, mœror
deprimit, et ipsa mors tandem interimit, uniuersis gaudijs finem
imponens. Tam ægra uulnerataq; natura nostra est, naturalibus
illis et gratuitis donis quibus exornata fuit, misere destituta. Pri-
mæua uenustate doteq; præclarissima iusticiæ originalis qua pro-
na fuit dumtaxat ad bonum, spoliatur: facta procliuior ad omne
malum, ad omnem uirtutem inhabilior. Neq; iam penes nos
est ab hac infirmitate resurgere, non ualet industria nostra dotes
amissas recuperare, nequaq̃ opere nostro uulnera curari possunt
accepta, nequeunt ullo studio pronitates et inclinationes malæ sa-
nari. Istiusmodi rapimur incommodis,huc atq; illuc malis impel-
limur: ut in æquo bonoq; conquiescere posset nemo uiuens, usq;
Post mortẽ crescunt ærũne miserorũ. dũ mors omnia mutet. Vtinam, o utinam mors hijs miserijs ter-
minum imponeret,utinam hæ calamitates non augerentur et cres-
cerent in morte, o si post mortem non superabundarent, utinam

nõ tũc ue-

non tunc uelut inijtium dolorum esset, cum finis adesse speraretur. Post mortem enim, post mortem peccator impœnitẽs multo pluribus miserijs opprimitur in inferno, q̃ uiuens in mũdo. Per peccatum in hac uita paupertatę grauatř homo, grauatur infirmitate, captiuatur, læditur, sauciatur, ægrotat, nudus fit et miserabilis: ignorantijs atq; erroribus, damnis et miserijs undiq; circundatur. En quid e peccato ueniat. Quoties peccas: tot illico miserias incurris. Sicq; (quod absit) præ commeritis damnationi subiaceas: de miserijs emigras ad miserias, a paruis ad amplissimas, e tolerabilibus ad intolerabilissimas: et illic etiam demutatis sæpe miserijs ibis ab aquis niuium ad calorem nimium, hoc est alternatim et ignis et aquæ pœnam sustinebis urgentissimam. Vestitus ibi miser, ibi miseranda nuditas. Ibi miseria famis atq; sitis, miseria frigoris et algoris, miseria putredinis et fetoris, uita miserrima cum morte simul infinita, ibi miserijs omnibus, miserijs infinitis replebitur. Ex hijs miseriam peccatoris magnam in hoc mundo, maiorem in inferno perspicitis: per peccatum inchoari, damnatione finiri. Miseriam istam propheta recognoscens atq; formidans Miser (inquit) factus sum Miser ob peccatum quod commisi, miserior autem ob damnationẽ, per quã ad pœnam uideor obligandus æternam. Sed quoniam omnis institutio quæ a ratione suscipitur debet a definitione proficisci, ut intelligamus quid sit de quo tractetur: definienda miseria nobis, seu quid sit esse miserum. Et cum sit oppositorum eadem disciplina, oppositaq; iuxta se posita magis elucescant: si quis sit beatus, prænoscamus: facilius appræhendemus quis miser ueniat appellandus. Liquet igitur ꝙ beatitudo sit (authore Scoto) bonum sufficiens, excludens defectũ et indigentiam omnem: et beatus ille cui succedũt optata omnia, beatus qui rebus omnibus ad usum et ornatum uitæ spectantibus abundat. Contra, miseria est copia tribulationis, et consolationis inopia: miser autem est, qui rebus hijs omnibus aut harum multis frustratur et destituitur, qui desyderijs ubiq; suis priuatur, in flebili calamitosoq; statu cõsistens. Enimuero miseri sumus omnes, q̃q̃ miseriam

Iob. 24.

Phũs.

Scotus.

Beatitudo definitur, et miseria.

istam multi dissimulant. Nec est miserior ullus q̃ qui miseriam suam nescit, aut non uult intelligere: ut qui morbi dolorem non sentit desperatur a medico. Quorum mens alienatur et frenetici sunt se nihil pati putant, sed incolumes esse: sic illi qui mundi præsentis ærũnas peccataq; sua non senserint alieni a sapientia sunt. Nam quorum mens a delectabilibus huius mũdi rebus absorpta distrahitur a cœlestibus, peccata sua non percipiunt aut percepta negligunt: quæ cunctas in se miserias et calamitates agglomerant. E cõtrario propheta sapiens modo mala perpetrata, modo neglecta bona circũspiciens, uidens abundare opera mala de quibus reprehendendus, rectaq; deesse ob quæ laudandus esset, neq; remediũ K.
inueniẽs quo se iuuare queat: tristicia in se graui corripitur, tereq; K.
depressus illius pondere clamat. Miser factus sum: et curuatus sum, usq; in finem. Quid est in finem usq; curuari? quid nisi sic presso, sicq; cõtracto esse corpore, ut se non possit erigere, neq; cælum aspicere? Talem in synagoga mulierem inuenit dominus: cui res fuerat decem et octo annos cum simili morbo, misero quidem ac immedicabili. Curuabatur enim et inclinabatur, neq; se ualebat erigere: CHRISTI tamen imposita manu statim erecta est et glorificabat deum. Hic autem quod corporis est transfertur ad animũ, hij curuari dicũtur qui terrenis defixi rebus, de cœlestibus ac æternis ne cogitant quidem: ad terram et terrestria, carnem et carnalia, concipiscentiam et concupiscibilia cor pronifactum habentes de quibus illud ait Apostolus Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus dei. Spiritualis spiritualia consyderat, animalis autem seu corporalis homo reuoluitur ad terrena. Si mundanum hominem rebusq; mundanis inhiantem introspicias: quomodo curuetur intelliges. Manifeste uidebis corpore curuatum, animoq; demissum, uidebis quæ mundana quæq; sua sunt, sedulo quæritantem: quæ uero dei et quæ proximi, minime curantem. Curuatur autem usq; in finem nisi deus manum adiutricem interponat, sicut mulierem illam clæmentissimis oculis est intuitus, et nisi per gratiam ad se uocet sicut illam aduocauit: per quã relicto mundo,

Luce. 13.

1. Corin. 2.

Dupliciter se homo curuat.

relicto pe-

relicto pecuniæ studio, relictis cupiditatibus et uniuersis uicijs suis aspirare possit ad rerum cœlestium cognitionem, ad uitæ suæ pœnitentiam et perpetuam dei laudem. Sicq; curuatur alio modo, modo probabili atq; bono Curuari ad peccata sordesq; mundanas malum est, curuari ad agendam pœnitentiam et humilitatem optimum. Si uidere uelis et cognoscere quomodo sic unusquisq; peccator sit curuandus, ut neq; sursum aspiciat neq; suos in cœlum oculos eleuet, sed uultū in terram humiliter et pudice demittat: intuere Publicanum illum peculiare cunctis peccatoribus exemplū, qui templum ingressus, longe stans, nec audens in cœlum oculos leuare sed pectus assidue percutiens et peccata sua confitens, dicebat Deus propicius esto mihi peccatori. Hic apposite dicere potuit Curuatus sum usq; in finem, hoc est cōtinue cōpunctus sū et humiliatus, cōtinue pro peccatis meis ueniam implorans. Eodem modo propheta noster prudenter animo repetens, q̄ culpam pœnitentia sequi debeat, et quod scribitur Qui cadit adijciet ut resurgat: inquit Tota die contristatus ingrediebar. Publicanus ingressus est templum ad pœnitendū: hic ingrediebar inquit, sed quorsum? In templum profecto sui cordis, de quo CHRISTVS in Matthæo præcipit Cum oraueris intra cubiculum tuum, et hostio clauso ora patrem tuū in abscondito. Intra cubiculum cordis, cubiculum cōscientiæ, secretum indaginis internæ cubiculum, cor tuum intra te colligens sensus omnes occlude, sepositoq; omni alio cogitatu solū deum respice, ea synceritate mentis deum alloquere, quasi nullus hominum aspiciat. Sic ingressus est propheta tristis ac mœstus ob peccata quæ commiserat, tristior ipsa memoria Sabbati quod per peccata distulerat, et amittere formidabat. Ingressus est non semel tantum, non bis aut ter, sed sæpius, sed continue, Tota inquit die contristatus ingrediebar. Per totam diem totius uitæ spatiū intellige. Contristatus ingrediebar inquit. Ingrediebatur enim solicito timore cuncta circumspiciens, peccata quæ cōmiserat enumerans, bona quæ neglexerat ad animum reuocans, reprehēsibilia in quæ inciderat attendens, recta quæ fecisse poterat

Luce. 18.

Psal. 40.

Littera.

Math. 6.

Peccator cōtinuam agere debet penitētiam.

perperam omissa recogitans, nullum in se tantorum malorum remediū inueniens, intolerabilis tristiciæ pondere tabescebat: et tanto durius se cogitando dilaniabat, quanto terribilius iudiciū immi nere uidebat. Quare dicit, cōtristatus ingrediebar. Significat itaq; sese quoties deliquerat et offendisse se deum recognouerat, tristem agendo pœnitentiam extitisse: nec cessaturum donec uiuat, peccata plangere: non cessaturum a luctu q̄diu uixerit, donec per dei misericordiam perueniat ad eam uitam ubi uerum erit Sabbatū, ubi certissima requies atq; infinita. An non quid expediret, propheta cognouit? Nunquid ueram ipsam pœnitendi uiam ingressus est? Quam ob rem o peccatorem infœlicem, si non eadem sed alia sibi successurum autumet: o miserum qui satis a se factum arbitratur, si semel pœnitentiam, si semel dolorem cordis ac gemitum admittat, ut statim ad antiqua gaudia recurrat: post paruum fletum ad assiduum risum, post modicum dolorem ad continuam dissolutionem, post pœnitentiam imperfectam ad uoluptatem inmodicam reuolet: cum pœnitere dicatur quem pœna tenet, et peniteri pœna teneri. Quare non est omittenda pœna, q̄diu peccatum inest: quoniam ut inquit Augustinus Pœnitentia est quædam uindicta dolentis, puniens in se quod dolet commisisse. Non desinet ergo pœnitere, q̄diu quod commissum est remanet. Siquidem hoc modo propheta fecit, qui tota die, tota uita se pro peccato contristatum ostendit. Sed illud euitare cogitans: magnum cum carne certamen habendū intelligit, quæ semper cōcupiscit aduersus spiritum. Lex enim membrorum ut persensit etiam Apostolus, repugnat legi mentis: quomodo quod non uult, hoc ipsum quis agit. Plæriq; tamen omnes (proh dolor) non ui aliqua uel impulsu, sed suapte sponte, propria inquam propria uoluntate se deijciunt in miseriam peccatorum. A peccatis uero quibus insueuerunt, non sine sūma difficultate resilire possunt. Vnde peccati tyrannis quædam oritur: quando caro per consuetudinem tantā sæpe delectationem inijcit, ut ubi uel minima sese offert occasio in peccati uoraginem incidant. Corpus etenim assuetudine peccandi pollutum, carnales oblectati-

Augus. (margin, beside "niam ut inquit Augustinus")
AdGala.5. (margin, beside "men habendū intelligit")
Roma.7. (margin, beside "Lex enim membrorum")

oblectationes, phantasmata fœda, pessimas et abhominanda sæpe cogitationes obijcit animæ, concupiscentias detestabiles non
L. raro repræsentat: quibus facile deluditur et in laqueum illicitur.
L. Sub persona talium propheta lamentabiliter inclamãs adiungit
, QVONIAM LVMBI MEI IMPLETI SVNT illu= 7. Versus.
, sionibus, et non est sanitas in carne mea. Cadauerosam et fœtidã carnem prius accusabat, ut quæ spiritum semper oppugnat: queritur ut corpus aduersus animam semper appetit et semper insidias struit, ut hominem falsis delectationibus illaqueet: queritur ut lex membrorum rebellis est legi mentis, ut homo sæpissime nolit id quod etiam agit. Quot sic ad peccatorum miseriam ex perpusilla causa trahuntur, e qua non nisi permagna cum difficultate resurgant? Hinc enim per peccati tyrannidem, inde per consuetudinem, pollutum corpus atq; sordidum animæ fœdas continuo delectationes obijcit: obscænas instigationes, cogitationes carnales, imaginationes impuras, et memorias iamdudum peractarum uoluptatum, nouarum auidas: unde homo ipse plærunq; fallitur et ad peccata pertrahitur, ut bos pinguis ad lanienam et cædem agitur. Sed unde prouenit ista malitia carnis? Non est sola carnis infirmitas, quæ tantam spiritus fortitudinem opprimere possit.

Diabolus p corpus illudit animæ.

Nimirum aduersarius noster diabolus infirmum corpus illud armat in malum; uarijs affectionibus corpus affligit, omni modo corpus illudit, et per corpus animam uanis imaginationibus sæpe fatigat. Esca diaboli corpus est: corpus tendicula corpus decipula est diaboli qua tendit insidias animæ, quam tanq̃ hamo prehendat: machina est, qua uirtutem animæ prosternat: aries est quo muros animæ ualidissime percutiat. Diabolus nunc animam nũc corpus tam uarijs illusionibus, tot impugnationibus adeo iactat et contorquet: ut ipsum hominem in extremam miseriam adigat. Quid est hominum uniuersa uita, quid aliud q̃ tentatio super terram? immo tentationum agger quidam atq; cumulus? Edendo, bibendo, ludendo, dormiendo, uigilando, ieiunando, deprecãdo, quiduis agendo, tẽtatio semper occurrit aliqua: ut Iob illa senten=

Iob.7. tia ſit ueriſſima Vita hominis tentatio eſt ſuper terram. Dices aliquam eſſe ceſſationem tentantis diaboli. Eſt, ſed tum maxime cauendum tibi. Tunc enim uiolentiſſime tentat, quando tentare deſiſtit: tunc inuadit maxime, dum nõ inuadere uidetur: quia nūq̃ deſinit niſi uincatur ab eo qui tentatur, et interim facit quod in bello uel obſidione ſolent. In bello qui debilior ſit aut inferior, uictus aut impar: ſtatim quærit inducias ut interea ſibi uires et arma tutiora comparet ac ualentiora. Sic et diabolus tanq̃ inducias tecum accipit quando tentare deſinit, ob id ſolum ut te reddat incautiorem ac minus attentum: quo poſſit ipſe negligentem, audaculum, atq; oſcitabūdum opprimere. Sic quo tutior es opinione tua, quo ſecurior ipſe deſides: eo plærunq; ſis infirmior maioribusq; periculis obnoxius. Caueto fraudes, caueto mæandros diaboli: quoniam innumeri ſunt et inſcrutabiles. Per corpus hic obrepit ad animam. Verum unde corpus ei ſic redditur obnoxium? Quia fomes certe remanſit in carne: per quem anima cum corpore male afficitur. Donec corpus exuatur iſto fomite, animaq; liberetur ab imaginibus et phantaſmatis inidoneis, donec corpus ac anima ſimul eruantur ab illuſionibus: non erit quies in homine, nõ erit perfecta lætícia. Sunt illuſiones animæ multiformes, et (ut uere dicam) innumeræ: quæ ſec interdum urgent, ut nec orare, legere, contemplari, ſtudere, nec aliquid boni facere uel meditari ſinant. Sunt illuſiones importunæ, dubiæ, ſubitariæ: ſunt occultæ, fraudulentæ uiolentes et perplexæ. Illuſiones quoq; corporis multæ ſunt et incertæ. Cæterum ut ex innumerabilibus quaſdam in cõmune proferamus: homo fallaci perſuaſione circumuentus, falſa pro ueris accipit: mala pro bonis agit, cœleſtia pro terrenis abijcit, pro caducis, pro uanis atq; friuolis ſyncera, ſtabilia, certa, perpetuaq; relinquit: pro uana mundi uoluptate ſeruitutem dei deſerit, a uiuendi ratione a ſanctaq; retrahitur intentione, quo potiatur inani uoto ſtolidiſſimoq; ꝓpoſito. Nec diabolus ſolus illudit, ſed ſibi mūdum aſſociat, quibus dum tercia caro coniungitur: fit impijſſima ſocietas ad fallendum hominem. Alludit mundus, caro colludit,

Illuſio multiformis.

diabolus

diabolus illudit: mundus per blandicias sæculares, caro per sensuales illecebras, diabolus per fallacias spirituales. Proponit mundus, assumit caro, diabolus concludit. Mundana ludibria proponendo mundus obiectat, illicita desyderia caro præsumit, sempiterna tormenta diabolus inde concludit. Sic interim homo luditur ut eludatur, sic eluditur ut illudatur. Præcauendum tamen inprimis quando dæmones ab illudendo cessant, sicut de tentatione prætati sumus. Tunc enim, tunc quiescentes et supinos irridere parāt, quemadmodum ibi subsigniticatur Deridebant sabbata eius. Dæmones sabbatum seu quietem negligentis hominis et securi derident: ut quem dum minus sibi cauet, ad solita seu turpiora peccata retrahunt. Sabbatum dominus instituit ad syncerum sui cultum, et necessariam requiem omnium animalium. Eodem homines abutuntur ad suam libidinem, ad omne genus uoluptatum. Quod illico diabolus arripit ad tentationis suæ robur atque firmamentum. Tu nanque qui Sabbatum, qui diem dominicum cōsumis in aleæ, spherulæ, pilæ ue lusu: in choreis, in cymbalis, citharis atque tympanis, reliquis ue iocis ac nugis: non te peccare putas, sed sabbatizare: cum tamen Augustinus affirmet Melius est in die dominico arare q̄ chorizare. Sic ait quod in istiusmodi ludicris, præsertim in chorea plurimæ peccatorum occasiones, imaginationes abhominandæ, et tentationes innumeræ nobis occurrant. Chorea circulus est (inquit idem Augustinus) cuius centrū diabolus est. Chorea est circulus, quem efformat diabolus ut hominem capiat. Ab hijs illusoribus et imposturis eorum, Propheta iustus atque timens deum liberari cupiens, alibi precatur Domine deus meus in te speraui, saluum me fac ex omibus persequentibus me et libera me. Tu me domine adiuua quem graues inijmici persequntur, tu me adiuua quē tam multi feroces et indomiti premunt, tu succurre quoniam illi cominus impetunt, tu mihi subueni cui corpus propensū est in ruinam, cui tot illusiones imminent, tu adiuua Quoniam lūbi mei impleti sunt illusionibus, adeo quidem et tam mirifice quod non sit qui adiuuet nisi tu solus deus. Non mea uir-

Treno.1. Expo. Augus. Improbātur choree. Augus. Psal.7. Expo. Littera.

mea uirtus est, non uis humana, quæ me iuuet: sed in te domine,
Psal.24. in tuo solum auxilio speraui. Tu da ne persequantur, neq; irride-
ant me inijmici mei. Inijmici mei dæmones sunt qui me suis illu-
sionibus ad impietatem redigent, qui suis irrisionibus afficient ni-
si tu prohibeas. Multis, multis modis illuduntur homines per ua-
ria uiciorum incentiua: per cogitationes obscænas, per fœdas affe-
ctiones, desyderia carnalia, per prauas imaginationes, et titillatio-
Littera. nes innumeras. Et hoc est quod propheta clamitat Quoniā lum-
bi mei impleti sunt illusionibus Impleti sunt tentationibus, im-
Illusiões facte in lūbis. pleti carnalibus incitamētis. Quare lumbos potius q̃ alias partes
corporis ibi noīat? Sane q obedientiores illæ partes sint diabolo,
debiliores ac minus potentes ad obsistendum q illę fragiles sint et
ad uitium proniores, q in illis luxuria dominet, saltem uiris sicut
fœminis in umbelico, testante domino qui de diabolo loquitur ad
Iob.40. beatum Iob Virtus eius in lumbis eius, et fortitudo in umbelico
uentris illius. Illusionibus (inquit) impleti sunt lūbi, pluribus non
unica, nō duabus aut tribus tantum: sed tanq̃ innumeris. Imple-
tur anima uanis imaginationibus, corpus impijs delectationibus:
Delectatiões duab9 de causis illusiones appellantur. utrūq; suis illusionibus, Neq; tam bene delectationes q̃ illusiones
appellantur, ob duas causas præsertim. Prior est dolor hic subse-
quens. Quisquis enim peccat, ubi peccauit: non peccasse desyde-
rat. Neq; superest in mundo tam fœda labes hominis quem non
pœnitet ubi libidinē effudit, quin doleat posteaq̃ deliquit. Admi-
sso peccato corpus extimet, horret natura, cor trepidat, cōscientia
murmurat, animaq; repugnat, mœstum ac semimortuū quicquid
August. est hominis: ut uerum in eo fiat quod Augustinus inquit Iussisti
domine et ita est, ut omnis inordinatus animus sit sibijpsi pœna.
Plura sunt in hanc rem nostræ religionis exempla, sed et manife-
stiora q̃ ut hic repetenda sint. De externis autem unum inferam.
Demosthenes orator græcus Corinthum adijt ut cum Laide me-
retrice famosissima rem haberet. Quæ cum conditionem iniquam
Aul9 Gellius. obtulisset, ille recusauit inquiens Non emo tanti pœnitere. Intel-
lexit Ethnicus perpetuam esse peccati comitem pœnitentiam ac
mœstuciē:

mœstuciem: et ignorabit Christianus? aut ubi cognorit, non cauebit? Altera causa, finis acerbissimus. Tentatio delectabilis, suaue peccatum dum admittitur: sed finis, finis, sed finis inquam omnia uertit. Nouissima eius amara, quasi absynthium. Post minimam delectationem æterno deputatur incendio. Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. In hijs lumbis suam maxime tentationem diabolus exercet, uim suam demõstrat, et illudit. Inde fornicatio, adulterium, incestus, inde carnales corruptiones omnes procedunt: a quibus abstinere consulens Apostolus, inquit State succincti lumbos uestros in ueritate. Omnia membra contra astutias maligni spiritus, sunt armanda nobis Renes ac lumbi pudicicia ipsa tanq̃ cingulo quodam ac Baltheo, contra concupiscentiarum titillationem. State inquit, state fortiter aduersus has insidias, aduersus impetus et fraudes diaboli: resistite fortes in fide, telis istiusmodi concupiscentiarum fidei fortitudinem opponite, tanq̃ scutum. State succincti lumbos uestros ait Apostolus, Sint lumbi uestri præcincti, monet CHRISTVS in euangelio: Volens uterq; ut partes istas corporis ad libidinem propensiores, arctius constringamus et quasi circumcingamus. Vnde qui caste uiunt præcincti seu succincti uocantur, discincti uero qui molliter ac libidinose. Vos ergo uirgines state succinctę cingulo uirginalis castimoniæ, uos coniuges cingulo coniugalis continentiæ, uos uiduę Baltheo uidualis obseruantiæ. Nempe qui soluit hos ordines qui uiolat horum statuum aliquem, se periculo carnalium desyderiorum, se luxuriosorum appetituũ exponens: incidit in laqueum diaboli, resistere non potest captus et illaqueatus. Ad cogitationes primo malas pertrahitur, ab hijs rapitur ad turpissimas affectiones et motiones pessimas: ex mala cogitatione deliberatio generatur, e deliberatione magna delectatio, ex delectatiõe affectio, ex affectione consensus, de consensu operatio, ex operatione consuetudo, e consuetudine desperatio, ex desperatione defensio, post defensionem maligna gloriatio, quã consequitur execranda damnatio. Lapsus in uicium carnis, in alia simul labatur est necesse.

Prouẽ.5. Gregori. Ephe.6. Expo. Renes et lũbi accingẽdi. 1.Petri.5. Ephe.6. Luce.12.

Luxuria

Mala luxuriã sequentia. Luxuria nanq; q in tot alia uitia ducat, maxime est abhominabilis: ni præponas hæresim. Ducit in blasphemiam, ducit in periurium, idololatriam, homicidium, furtum, iniuriã, discordiam, bellum, ducit et in hæresim ipsam. Nonne luxuria causa fuit cur Solomon relicto deo colebat idola? Nonne duo seniores iudices per luxuriam inciderunt in periuriũ: quo maligne contra castissimam Susannam agebant? Cur homicidium Dauid incurrit, quare fidelissimum sibi militem Vriam interficiendum insidiose curauit? An nõ luxuria qua uxorem eius Bethsabeam cõcupiuit, effecit? Quot bella suscitata leguntur, cũ inter gentes tum fideles ob luxuriam? quot discordantium narrantur historiæ? Quicquid, quicquid est ingentis mali, de luxuria profectum inuenitur. Nunquid ob hanc Sodomitæ detrusi sunt ad inferna? mũdus iste Cataclysmo perijt? Quot bellorum tumultus? quot dissensionum igniculi? quantæ sãguinis effusiones, quotuplices mortes, q̃ numerosæ pestes, quot plagæ, quot miseriæ, quot genera paupertatum, q̃ multæ species malorum inde prouenerunt? O quot per luxuriam damnati sunt et ad ima tartara deiecti? Vt paucis absoluam, Luxuria uirtutes omneis interimit, pro quibus multiformia uitia supponit. Viuas ergo, uiuas ut te decet o uir Christiane: caste uiuas, iuste, pie, atq; sancte. Nam luxuriosa uita christianorum non est, non est hominũ: sed canum, sed suum, sed reliquarum bæluarum, immo nec earum præterquam quod natura postulat. In hominibus naturam ratio dirigit, gratia gubernat, uel gubernare debet. Si luxuriosus eris, non erit accepta uita tua sed abhominabilis, abhominabile quicquid ages. Etiam eleemosyna detestabilis erit, si de manu porrigatur tam polluti corporis. Vilescit oratio quæ prodit ab ore fœtido. Ieiunia, genuflexiones, adorationes, pronefactiones, humiliationes, omnia quæ magni meriti sunt in casto, magnamq; coronam expectant: in luxurioso pereunt. Quicquid fit ab homine luxurioso, corã deo fœtet atq; angelis: hominibus odibile. Omne quod agis o tu luxuriose corruptum putridum et fœdum est, non est acceptabile. Tu nanq; si uir nobilis esses in mensa sedens, an quæ le=

quæ leprosus quisq̃ apponeret fercula q̃libet exquisita lautaq; non recusares, non indignans et abhorrens repelleres? Quanto te deus nobilior et illustrior, q̃ sublimis in æterni conuiuij mensa residet? Cui quod ab ore, quod a corpore lepra nimis infecto sacrificatur et tanq̃ in mẽsa ponitur, an placebit? Verum est quod de tali sacrificio scribitur in Psalmo Sacrificium et oblationem noluisti, Psal.39. et in Osee Non placebunt ei sacrificia eorum. In castitate, contra Osee.9. ueniunt omnia. Ornat omnia castitas, quæ luxuria corrumpit. Castitatis excellentia. Castitas est uirtus preciosissima, uirtutes alias in sese seruans incolumes: opera cuncta condecorat, cuncta commendat ac sublimat, sacrificium omne consummat, et sacrificium quoddam in se purissimum est. Hoc sacrificiũ Iosephum deo reddidit acceptissimum, Ioseph. quo sic ei placuit: ut apud ægiptios regi secundus esset, et rex eum uno tantum solio præcederet. Noluit ipse castitatem uiolare, quã a Putipharis uxore ægre seruauit inuiolatam. Q̃diu cœlebs erat, uirgo permansit incorruptus, uirgo intactus: ubi matrimonio cohæsit, matrimonialem pudiciciam tenuit intemeratam. Hoc monili decorata Susanna fuit matronarum una nobilissima, quam deus ab insigni calumnia per castissimum Danielem protexit: quia Susanna. mori maluit q̃ matrimonij iura peccando soluere, cuius ob id laus immensa manet ad hos usq; dies. Fuit insup Abrahamus hac uirtute celebris, quem patrem multarum gentium deus instituens, ex Abraha. nomine designauit. Fuit Moses, quẽ ducem populi sui constituit, fuit Iosue, fuerunt alij multi duces et reges populi, fuerunt quos e populo singulariter elegit. Ex fœminis præterea Sara, Rebecca, Lya, Rachel, bis Anna, Elyzabetha, Thabita, quæ sic dei fauorem Thabita. obtinuit: ut a morte suscitari meruerit per Petri ministerium. Fuit illis diebus fœcunda matrimonij castitas in summa laude, sterilitas in uituperio: iã castitas cõiugalis uirginitati cedit. Ab Adamo matrimonium, uirginitas a CHRISTO cœpit. In Eua prolificatio, in Maria uirginalis obseruatio. Beatissima uirgo, benedicta et Beata Maria. tanq̃ purissima inter mulieres, electa est in matrem domini: quia nõ potuit deus et homo nisi de uirgine nasci. Eadẽ ipsa futuris, ut

CHRISTVS sui sexus uirginibus singulare reliquit exemplum.
Io. Euan. Ioannem euangelistã charissimũ inter discipulos CHRISTVS habuit ob uirginitatem: ut cui propterea seorsum sui pectoris archana cœlestiaq; mysteria reuelaret in cœna. CHRISTVS autẽ
Math. 19. totius integritatis caput ac remunerator est: suis ita cõsulens Sunt qui se castrauerũt propter regnum dei: qui potest capere capiat Et
Luce. 12. alibi Sint lumbi uestri præcincti Quod idem consilium se dare di-
1. Cori. 7. cit Apostolus: uolens ut omnes essent, qualis ipse fuit. Estote ergo succincti lumbos sicut ipse consulit, seu Sint lumbi uestri præcincti quemadmodum CHRISTVS admonet. O q̃ fœlicissimũ esset genus humanum si hæc uirtus in se floresceret. Cæterum lumbi nostri (sicut ante diximus) tot illusionibus impleti sunt, ut hanc integritatem sequi multitudo nolit: utinam maneret, utinam honorabile connubium et thorus immaculatus. Verum quia non in paucis sed omnibus hominibus, non in lumbis solũ sed in cunctis corporis partibus, istanc miseram infirmitatẽ et propensionem
Psal. 37. ad peccatum propheta perspicit: hanc querelam adijcit Non est sanitas in carne mea. Non lumbi tantũ, sed et caro tota corruptelis est exposita. Singula membra corporis quæ in usus uarios nostri corporis accepimus: sæpe nos ad erroris ac mortis materiam inclinamus. Oculos ad turpia ad uanaq; uidendum, per multifarias occasiones ad peccata flectimus. Aures ad detractiones audiendas, inaniaq; uerba nonnunq̃ accommodamus. Naribus odoramenta, aromata, pigmenta, suffitus balsamaq; captamus. Ori lauticiam ciborum et uaria condimenta paramus. Lingua iniquitatem in excelso loquitur, et inter amicos discordias ac iurgia seminat. Totum corpus insano gestu tactuq; indecoro uiolamus, et ipsam salutem corporis in usum uitiorũ pertrahimus. Demum eas uires, eam ualitudinem, eam iuuentæ præstantiam, eam pulchritudinem, omnia quibus utiliter ac honeste uti possimus ac debeamus ad honorem et seruicium deo debitum, ad nostra merita ad coronam futuram: in operis praui nos instrumenta conuertimus, abutimur, ad stulticiam et insaniã proijcimus. Quocirca sub

Corruptio sparsa in totum corpus humanum.

sua per-

, ſua perſona de talibus inſit Apoſtolus Non inuenio in me bonũ, Roma. 7.
, Velle bonũ adiacet mihi, perficere uero non inuenio. Ipſum nãq; genus humanum fragile eſt: corrupta natura et ad uitium proniſſima. Pronitas nimirum illa naſcitur ex gemina cauſa, ſicut prælocuti ſumus. Ex principio noſtri id eſt patre Adamo, qui primus omnium peccauit et peccatum in carne ſua reliquit: qua nos induti ſumus, et illinc peccatum originale traximus, unde cœpit omnis error, omnis enormitas. Et ſicut corruptionem hanc generalem ab Adamo deriuamus: ſic particularem e ſuo quiſq; parente ſuſcipit. E putribus et corruptis parentibus, corrupti filij gignuntur et imbecilli. Nec in animam ſolum, ſed in corpus ſimul uitium iſtiuſmodi ſæpe redundat, ut e leproſis leproſi, ex hydropicis hydropici, ex aliter uiciatis alio modo uicioſi prodeant. Vitiũ, morbus et infirmitas parentum, ſæpe pullulant in liberis: ſicut de lepra, podagra, cæteriſq; ſimilibus experti ſumus. Ebrietas, furor,

Duplex cauſa male pronitatis in nobis.

, inſania transffunduntur a parentibus in filios. Per unum hominẽ Roma. 5.
, peccatũ introiuit in mundũ, in quo omnes peccamus inquit Apo-
, ſtolus: et per peccatum mors quæ in omnes tranſijt. Siquidem corrupta natura corrupte operatur, et corruptos procreat. Ab ea corrupti proueniunt affectus et appetitus infecti. Altera cauſa ſequitur ex nobis ipſis, dum corruptæ naturæ ſæmina male uiuendo prauaq; conſuetudine late ſpargimus. Conditio iam noſtra hinc ab inijtio deprauata, illinc per nos male detorta, fit ad malũ
, propenſiſſima: teſtante quoq; ſcriptura Senſus et cogitatio homi- Gene. 8.
, nis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia. Corpus in ipſa ſui formatione corrumpitur, per corpus inficitur anima, per quod rapitur ad inordinatas affectiones rerum corporalium. Anima nempe q̃q̃ infuſa, licet data deſuper: corpori tamen coniuncta, plærũq; ſequitur paſſiones et motus eius, etiam illo Solomonis teſtimonio

Qualiter aĩa male per corpus afficitur.

, Corpus quod corrũpitur, aggrauat animam. Vnde queritur Apo- Sapi. 9.
, ſtolus Non quod uolo bonum hoc ago, ſed quod odi malum, il- Roma. 7.
, lud facio. Figurat in ſe perſonam hominũ qui ſunt uicijs et affectibus obnoxij. Mens ad bona nititur, caro retrahit et pellicit ad pec-

Psal.37. catum. Quare Propheta dolendo succlamat Non est sanitas in carne mea. Nulla pars corporis adeo sana, adeo quieta permanet: in qua nō aliquando peccati desyderium pruriat et titillet. Anima

Tormentum male conscientie. per familiaritatem corporis illicitur ad una peccandum. Cæterum ubi peccator peccatorum damna recogitat, ubi peccati discrimina, peccati fœditates animo reuoluit: ubi maculatam conscientiam, pondus et tyrannidem peccati meminit, ubi consyderat quomodo per peccati assuetudinem uulnus animæ recrudescit, et tanq̄ in suppurationem resilit: mirum in modum affligitur et torquetur, acsi quendam sustineret infernum. Incidunt primi motus ad peccatū, quibus ni resistas peccatum uincit. Victoria dominationē eius introducit, dominatio diuturnitatem, diuturnitas ad inferna pertrahit. Corpus per peccatum o quot carnalibus concupiscentijs, et illusionibus urgetur: q̄ impotens, q̄ fragile, miserum et caducum efficitur, quot et q̄ magnis hic calamitatibus agitaē ut appositissime quis dicere possit Afflictus sū et humiliatus sū nimis. Siquidē

Securitas innocētis et bene conscij. tanq̄ in paradiso uiuit cui mens sana est in corpore sano: cui pura, syncera, securaq; conscientia est: cui nihil occurrit quod se a deo alienet. Similiter illi quasi degunt in inferno, quibus fœdus aut pol-

2.Corin.1. lutus animus est. Gloriari posse priorē affirmat Apostolus. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. De posterio-

Esai. ulti. ribus propheta memorat Ignis eorum non extinguetur, et uermis eorum non morietur. Veraciter ergo cum propheta peccator dice-

8. Versus. re potest quod sequitur AFFLICTVS SVM ET HVMILIATVS SVM NIMIS, rugiebam a gemitu cordis mei.

Afflictus sum, abhominationem peccati uidens: turbatus, uexa- P.

Afflictio peccatoris. tus sum, tormentis affectus sum, conscientia mea contra me mur- P. murat et remordet, anima mea in angustijs est undiq; constituta, corpus ualde turbatum, mens in se requiescere nequit. O peccati pœnam, o peccati damnabile seruicium. Tunc, tunc mœror de peccato succrescit, quando quis recordatur q̄ improbo, q̄ infœlici domino seruiuit: q̄ miserando se seruicio subdidit. Peccatum uero

Roma.6. dominatur in peccatoribus. Nam cui exhibetis uos ad obediendū

serui

, serui estis eius inquit Apostolus, et Qui facit peccatum seruus est Iohis.8.
, peccati, sicut ait Euangelista. Quale sit autem seruicium eius et q̄
, non bonum, ex donatiuis et stipēdijs intelligitur. Stipendia nem= Roma.6.
, pe peccati mors, ait Apostolus. Qualis mors? Mors inquam æter=
, na. Nam sicut gratia dei uita æterna est, uti subdit Apostolus: ita Ibidem.
, mors peccati reuera mors est æterna, de qua dicit Esaias Gratis Esai.52.
, uenundati estis. Diabolus enim peccatorū emit animas, pro qui=
bus soluit hanc monetam, delectationem scilicet hic momentane=
, am, et postea pœnam æternam. Ideo rogitat Apostolus Cum ser= Roma.6.
, ui essetis peccatis, quē fructum habuistis in illis? Sequitur Finis Ibidem.
, autem illorum mors est, Quod propheta secum animo reuoluens,
in hanc flebilem uocem erumpit Afflictus sum, memor peccati Littera.
quod admisi: et humiliatus sum nimis, mortis ac damnationis quæ consequitur haud oblitus. Corpore sum afflictus, animo ma= ceratus, et humiliatus corde. Foris afflictus tribulationibus, cor= rectiōibus, uexationibus, anxietatibus, desolationibus, cæterisq; similibus: humiliatus animæ cōpunctionibus, cordis doloribus, reliquisq; fossionibus et stimulis internis: ut inter tam multiplices cum corporis tum animi miserias, qua me potissime uertam haud sciam. Afflixit deus prophetam suum, et ipse se puniuit atq; afflixit ob peccatum. Dum deus punit foris: ipse compungtur intus.
Quanta (precor) afflictio fuerat animi, quanta molestia corporis:
, quando tanq̄ ex ore dei dixit ei Nathan Non recedet de domo tua 2.Regū.12.
, gladius usq; in sempiternum, et suscitabo super te malum de domo Expo.
tua? Quod ipse profecto nunciauit, deus adimpleuit. Quattuor Afflictus Dauid propter peccatum in propriis filiis.
enim eius filij: quem e Bethsabea sustulit, Ammon, Absalon, et Adonias subitario casu de medio sublati sunt. Frater fratrem occi= dit, et filius in patrē insurrexit. Tenellus ille puer insanabili mor= bo statim a natiuitate percussus est. Absolon Ammonem ut ulcis= ceretur illatum sorori stuprum, interfecit. Solomon Adoniam reg= ni cupidum occidit. Absolon aduersus patrem arma commouit, in fugam uertit: nec intra regni fines nisi graui bello superatus et occisus requiescere siuit. Sic igitur afflictus propheta clamitat

Afflictus ſum, qui tam calamitoſam familiæ ruinam, qui tam miſeros caſus, tot infortunia paſſus ſum: et humiliatus ſum nimis, Valde ſummiſſus animoq́ꝫ deiectus ſum, dum mecum ipſe conſydero hæc mea cauſa, cauſa peccati mei contigiſſe, multoq́ꝫ grauiora commeruiſſe. Ab externis hijs afflictionibus propheta deuenit ad intraneas, quibus ſe ſponte pœnitendo caſtigabat: ut doceat unumquenq́ꝫ peccatorem et æquo animo ferre quæ deus infligit, et ſe præterea pro delictis quæ commiſit affligere. Quoniam id dominus deus noſter exoptat a nobis: qui ſub perſona diligentis loquitur ad dilectam Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ: abſq́ꝫ eo quod intrinſecus latet. Malum punicum qua ſoli opponitur, rubeſcit: candet intus aut ſubrubeſcit, plenum granis candeſcentibus. Grana nimirum iſta rememorationes peccatorũ ſingulorum indicant. Externo rubroq́ꝫ colore uerecundia deſignatur, qua de peccatis erubeſcimus (rubor enim hic apparet in genis, relucet in uultu) interno ſanguineoq́ꝫ liquore dolor pectoris oſtenditur, e quo pœnitens ſæpe prorumpit in ſingultus quaſi ſanguineos, in ſanguineas lachrymas et gemitus: inprimis exoptans ita corpus ꝓ peccatis humiliari et puniri. Anima dilecta deo, diuinitus informata, memoria peccatorum ingemit et tanq̃ foris erubeſcit: turpes delectationes uerecunde reijcit, fragilitatem, infirmitatem et imperfectionem intus agnoſcit. Hæc anima pœnitens et chara deo ſe ſcrutatꝰ atq́ꝫ explorat undiquaq́ꝫ, ne deus inueniat in ſe quod offendat: circum ſeſe uidet ut deus nihil ingrati uideat: intra ſe cũcta diiudicando componit, ut deus ipſe non iudicet: ſeſe diiudicat, ut non iudicetur a deo, ſciens ueriſſimum eſſe quod ſcribitur Deus non iudicat aut punit bis in idipſum. Quanto maiori contra ſe iudicio laborat, quo maius de peccatis ſuis grauamen aſſumit, quo profundius indolet per abhominabilis uitæ memoriam, quanto uerius erubeſcendo ſtupet ſe nihilifaciens et uelut abiectiſſimum reputans: quo uilior eſt in oculis ſuis, quo deiectior arbitrio ſuo: tanto precioſior in conſpectu dei, iudicio dei tanto maior, acceptior, pulchrior, et tanto ſublimior. Si peccata plene conſyderet, ſi uitam

Canti. 4.

Anima malo punico comparata.

ſi uitam tanq̃ ante ſe geſtans emẽdatum habeat, ſi quod deus obij=cere poſſit ipſa deleat: aduerſarius nihil quod accuſet habebit. Se=parabit enim, ſeparabit uenuſtum a turpi, ſeparabit commodum ab inutili, bonum a malo, uentilatasq; paleas ſegregabit a granis: et paleas peccatorũ igne confeſſionis, igne pœnitentiæ comburet, grana uero uirtutis in horreo pectoris abſcondet. Vt rubedo albe=dini mixta faciem ipſam hominis exornat: ſic et anima dum confi=tendo rubeſcens et confuſa de peccatis efficitur: pulchra fit ante deum et decora. Hæc erubeſcentia non deturpat ſed decorat ani=mæ faciem, cuius peccata conſumit. Humilitas et hæc erubeſcen=tia, pulchritudo ſunt animæ. Humilitas uilis apparet, at eſt ſubli=mis: mundo uidetur inutilis, at eſt ipſa utiliſſima. Cortex arboris trunco uilior eſt, ſed arborem ipſe ſeruat: humilitas cortex eſt, ſed qui bona cuſtodit et uirtutes aſſeruat. Cuſtos uirtutum humilitas: erubeſcentia de peccatis uiciorum expultrix. Rubor iſtiuſmodi genarum ornat animam, deum ad aſpectum uocat, et in amorem accendit. CHRISTVS cœleſtis ſponſus hanc uerecundiam et humilitatẽ reſpiciens acceptat Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, mater eius inquit. Excelſus dominus humilia reſpicit, reſpicien=do magnifacit et exaltat. Qui ſe humiliat exaltabitur, exaltabitur ab eo qui de ſtercore pauperem erigit. Vis o pœnitens humilis, uis finem humilitatis intueri? Diſcas ab hijs humilibus, qui te præ=ceſſerunt. Eccum centurionem quem humilitas CHRISTO cõ=mendauit, en Paulũ quem humilitas uas electionis effecit, Petrum qui per lachrymoſam humilitatem cum CHRISTO redibat in gratiam, Ioannem baptiſtam qui per humilitatem id obtinuit elo=gium Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne baptiſta, mariam Magdalenem quæ per humilem pœnitentiam de ſumma peccatrice facta eſt par uirginibus: immo uide Mariam matrẽ do=mini ſemper humillimam, cerne CHRISTVM humillimũ, qui de ſe dicit Non uenio miniſtrari, ſed miniſtrare, et ad ſe ſequendũ nos omnes alliciens ait Diſcite a me quia mitis ſũ et humilis cor=de. Erecti uultus et ſublimes oculi non placent CHRISTO, ſed

[Margin: Verecundia animam adornat et humilitas exaltat.]
[Margin: Luce. 1. — Pſal. 137. — Luce. 14.]
[Margin: Qualiter humilitas a ſcijs omnibus obſeruetur.]
[Margin: Math. 11. — Math. 20. — Math. 11.]

depressi: non probat, sed domat ceruices erectas. Sint ergo genæ nostrarũ aiarum, sicut malum punicũ: ruborem foris, intus quoq; ruborem et candorem habeamus. Externo rubore fuga peccatorum, interno dolor et planctus animi: candore uero copiosa pulchritudo uirtutum quibus exornatur anima, comparantur. Quid enim aliud grana candida, q̃ decora uirtutum multitudo? Patientia scilicet, humilitas, obedientia, compassio, charitas, temperantia, iusticia, castitas: et cæteræ istiusmodi grana candidissima sunt.

Rubor cãdor et grana mali punici quid significent.

Iohis.12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipsum solum manet. Granum frumenti CHRISTVS erat, per cuius mortem suscitati sunt et tanq̃ e terra succreuerũt omnes martyres, quos mundus a passione uidit, Fuerũt hij grana candida: sed rubro, sed puniceo colore tecta, ceu grana malipunici. Delectabat

Philipẽ.1. hos pro CHRISTO mori, sanguinemq; suũ fundere: Dissolui cupiebant et esse cum Christo. Horum uniuscuiusq; uox illa fuit

Psal.119. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Dilationem sui

Roma.7. Sabbati, cum Paulo plorabat inquiens Quis me liberabit de corpore mortis huius? Dicet forsan qui uiuit hodie, se uelle cupereq; pro CHRISTO mori: sed occasionem moriendi non præberi. Certe licet non concedatur in corpore: nulli non conceditur martyrium in mente. Vtinam uelles animæ martyrium inferre per molestiam, per dolorem et anxietatem internam: utinã et corpori per abstinentiam uoluptatum et oblectationũ ac icitationũ iniquarum. Sed neq; semper legittimis utendũ. Infer corpori martyrium, tolerantijs et afflictionibus ipsum affice. Subtrahas e mensa ferculum amore CHRISTI, cibos imminue, tenuata pocula sume, corpus cilicio contere, sæpius inclinans humi prosternas, sæpius in terra cubes. Hæc mortificatio carnalis appetitus, propriç uoluntatis abdicatio: hæc profligatio uiciorũ, prauitatis morum expulsio, hoc luctamen contra carnem initum, genus est martyrij. Dum reprimuntur oblectamenta cordis in rebus terrenis et corporeis, dum motus omnis improbus sensuum extinguitur: martyrium est. In carne præter carnem uiuere martyriũ castitatis est.

Varia martyrii genera.

Herony.

Dũ pœnæ

R. Dum pœnæ pro peccatis feruntur, et iniuriæ simul ac aduersitates
R. æquo animo pro CHRISTO tolerantur: martyrium est passionis. Sed et compassionis martyrium est, dum quis necessitatibus aliorum et infirmitatibus miseretur, dum benigne miseris prospicit. Absq; eo quod intrinsecus latet, inquit. Latet intus pietas, latet et reuerentia cordis. Omnis enim gloria eius abintus. Desyderium animæ piæ tota gloria est, ut deo suo seruiat: tanq̃ filia patri dilecta, non seruili timore coacta. Gloriatur in deo, non in sæculo: in cœlesti gloriatur præmio, non terreno aut externo cõmodo. Testimoniũ habens conscientiæ puræ, q̃ deo synceriter inhæreat: nihil ultra desyderat, nihil sentit ultra, nihil dici permittit quod cõscientiam illam remordeat: nihil agit quod contra deum esse credat, nihil aliter q̃ secundũ deum intendit. Duplex autem merendi modus est: occultus in corde, et manifestus in corpore. Prior tangitur in hijs uerbis Latet intrinsecus, et est abintus. Corde (solo deo teste) multa geruntur et intenduntur ad uitam: facilem motum cordis, desyderium animi, uoluntatem efficiendi bona deus approbat: neq; tam respicit quod fit q̃ quo animo fiat, magis pensat affectum q̃ factum, magis pensat animũ q̃ substãtiam. Merito cordis interno constant hæc omnia, Vera contritio, uerus amor dei, proximi uera compassio, quæ eadem in opere externo cõplet: oratio, et supernorũ contemplatio. Ab hoc interiori modo procedit merendi modus externus: ut quod animo bene præcogitamus, idem opere præstemus. Hinc iustus et uere pœnitens ut mereatur se facilem, humilem et benignum cunctis exhibet: libenter omnia pro CHRISTO tolerat, tacet etiam acceptam plærumq; iniuriam: cũ se defendere possit, non excusat: non respondet quælibet obijcienti. Vt tempus uel locus postulat, aut res, ut causa dei poscit, ut ecclesiastica norma reposcit: ita nunc silere, nũc loqui, nũc agere, nunc tolerare, nunc incipere, nunc intermitrere nouit. Hæc latent intrinsecus, hæc commendant sponsam oculis interni iudicis, qui uidet abscondita cordis et occulta consilia cernit. Hæc uirtus illitescens per humiliationem mentis et carnis affectionẽ, per deiectio-

Canti. 4.
Expo. Psal. 44.
Duplex merendi modus.

deiectionem animi et prostrationem corporis, prophetam domino commendauit: dum considerans foelicem statum in quo mansit innocens, et miserum in quem noxius inciderat: cum magna contritione, magno cum gemitu et rugitu, cum dolore et fletu dominũ accedit, ut per planctus et lamenta misericordiam ab eo cõsequatur. Nam quisquis uere pœnitens est, primo se pro delictis humiliat, mox corpus affligit: sicut superiore die de Publicano diximus. Acriter se affligit, et nimis hoc est ualde humiliat: memor fœlicitatis abeuntis, memor miseriæ præsentis. Nempe si diues aliquis et præpotens in hoc sæculo reflante fortuna rueret in egestatem et exilium, relegatus ad insulas infœlices et solitudinem uastam atq; incultam: et illic domus, patriæ, parentum, nobilitatis, deliciarum familiæ et substantiæ recordatus fuerit: nonne doleret, nonne plangeret, et nimio tanq̃ mugitu suum defleret infortunium, utpote cui molestior esset præteritorum et amissorũ recordatio q̃ perpessio præsentium? Nullum etenim, nullũ miseriæ genus infœlicius, q̃ fuisse fœlicem. Sed nec opus est ut fingamus in hijs exempla nobis, ubi manifestum CHRISTVS ipse proposuit de prodigo filio cuiusdam diuitis, qui portionem paternæ substantiæ suam acceptam, abiens in longinquã regionem luxuriose uiuendo dissipauit. Et postq̃ omnia consumpsisset, egere cœpit, et tanta penuria fameq; coactus, cum porcis quos pascebat uesci ac uentrem suum implere cupiebat, de siliquis quas ipsi uorabant: et nemo illi dabat. Tandem in se reuersus, magnoq; cum dolore fœlicitatem recolens antiquam, dixit. Quot mercennarij panibus abundant in domo patris mei, et ego hic fame pereo? Surgam, et ibo ad patrem meum et dicam, Pater peccaui in cœlũ et coram te, Non sum dignus uocari filius, fac me sicut unum de mercennarijs tuis. Et surgens ueuit ad patrem. O quanta fuit afflictio, quantus dolor dũ recordabat̃ abundantiæ paternæ, dũ suæ meminit miseriæ? Quis autem iste filius diuitis, nisi qui deseruit ecclesiam, ueram patriam et domum omnium, uel desertus ab eadem est: impingens ad scopulos peccatorum, ad peccata corruens, in quibus iacturam facit

Canti. 6. Expo. Psal. 44.

Quantũ cruciat felicitas omissa.

Luce. 15.

uirtutũ

, uirtutum omnium. Nam quandocunq; iustus auersus a iusticia , fecerit iniusticiam: omnes iusticiæ eius quas fecit, non recordabũ, tur. O paupertatem abhominandam maxime, paupertatem animæ corporali multo deteriorem. Quid itaq; huic pauperi faciendum ad sui conseruationem? An aliud, q̃ quod factum est ab illo prodigo ad paupertatem redacto? an aliud q̃ redeundũ ad deum patrem, ad matrem ecclesiam per ueram pœnitentiam? Dicendũ , Surgam et ibo ad patrem meum clæmentissimum, qui nulli mise, ricordiam imploranti negans, ait Qui uenit ad me nõ eijciã foras: ibo ad almam matrem ecclesiam, quæ fores aperit omni uenienti, quæ cunctis lactere uolentibus ubera præbet, quæ pœnitentibus , et ueniam petentibus certo concedit. Quacunq; hora peccator in, gemuerit et cõuersus fuerit ab iniusticia sua, omnes iniusticiæ quas , fecerat obliuioni tradent̃. Sed hæc humilitas habenda pœnitẽti, ut , et sentiat et dicat Non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut , unum de mercennarijs. Nihil in se putabit esse quo uenia detur, sed gratis omnino dari. Et interim dolorem ac ploratum, interim singultum et gemitum assumet: q̄ peccando talem patrem offenderit qui non solum filium suum ab inijtio fecit, sed et quotiescũq; fugitiuum (si uere redeat) ad se paterne recipit. Sic propheta pœnitens, sic Propheta iam ad deũ per gratiã uocatus et ad pœnitentiã ductus in seseq; reuersus, se fecisse tradit in eo quod sequit̃ Ru, giebam a gemitu cordis mei. O pater, o pater Ego peccati cõscius angustia premor, deijcior, et præ suspirijs cordis quasi rugitum emitto. Omnia nãq; reuocans in seipsum, oia reuocans in iustam trutinam sui pectoris, consyderans assuetudinem longam in peccatis, consyderans uitam ueterem, abhominabilia consyderans et damnabilia peccata, quibus olim infectus et pollutus erat et ita se per pœnitentiam in dei gratiã insinuans: mirabiliter abhorrere cæpit ab hisce peccatis, abhorrere cæpit a mũdo quẽ tantopere dilexerat: abhorrebat ab actis et operibus in quæ toties tam delectabiliter inciderat, a carne cuius illecebras fuerat insecutus, a se ferme ipso prorsus abhorruit et omnẽ sui corporis uilitatem abiecit, diabolũ

Ezech. 3. et. 18.

Qualiter peccatorem redeũdũ ad ecclĩã.

Luce. 15.

Iohis. 6.

Ezech. 18. et. 33.

Luce. 15.

Littera.

diabolum et omnes huiuſcemodi ſordes, huiuſmodi uoluptates ſordidas odiſſe cæpit: et alium haurire calicem, calicem nouæ dulcedinis, calicem dulcedinis multo maioris, uerioris et diuturnioris: cuius delectatio ſecum ita rapuit, ut omnis interea uoluptas

9. Verſus. euaneſceret. Vnde ſubdit DOMINE ANTE TE OMNE DESYDERIVM MEVM. Qui de calice CHRISTI bibe-

Calix domini ſuauis. rat, ſuum omne deſyderium in eo collocauit: de quo Iacobum et Ioannem CHRISTVS admonuit, Venit enim mater ipſorum

Matth.20. ad eum rogans aliquid et dicens Domine dic ut hij duo filij mei ſedeant Vnus ad dextrā et alter ad ſiniſtram. Ecce terrenum deſyderium, a quo quidem ad cœleſte CHRISTVS abducit. Qui petunt ad dextram et ſiniſtram ſedere, prius audierant de ſedibus duodecim Apoſtolorum quibus inſidebunt in iudicio, atq; in eo conſeſſu præfecturam et primatum expetunt. Petit mater perſuaſa tamen a filijs, quod neq; CHRISTVS neſciuit. Et ideo non matri ſed diſcipulis ipſe reſpondet Poteſtis bibere calicem quem

Ibidem. ego bibiturus ſum? Calix iſte martyrium et mortem deſignat, ad quam pro CHRISTO tam prompte ueniendum eſt, q̃ ſi poculum ſitienti bibendum eſſet, ſicut et CHRISTVS ad mortem ſuam ſuauiter acceſſit. Diſcipuli ſicut plæriq; (quia nondum conſummatū erat myſterium crucis neq; in illorum corda gratia ſpiritus infuſa) putabant CHRISTVM Hieroſolymis regnaturum,

Ibidem. ut qui ſæpe dixerat Ecce aſcendimus Hieroſolymam, ubi filius hominis multa patietur, ſed tercia die reſurget. Iam ipſi uolebant in eo regno præferri: ſed eos neſcire quid petant ait. Sciebat enim eos uelle terrenū regnum, ſed et terrenis rebus hic frui, quando per paſſionem potius q̃ delectationem in mundo peruenitur ad cœlū.

Ibidem. Cum igitur reſpōdiſſent Poſſumus Calicem ſcilicet bibere: Chri-

Ibidem. ſtus annuit inquiens Calicem quidem meum bibetis. Biberunt omnes Apoſtoli, bibit hic Iacobus quem Herodes occidit, bibit Ioannes quem Traianus prædicantem uerbum ueritatis condemnauit. Bibendus iſte calix nobis omnibus beari uolentibus: ſi nō uiolentæ mortis et martyrij, ſaltem paſſionis et pœnitentiæ.

Hic ca-

Hic calix haustu primo perq̃acerbus est: sed postremo, sed in fū-
do fit suauissimus. Quo profundius inde bibes: eo poculum suaui-
us inuenies. Multo plus habet in exitu, q̃ in fronte ꝓmittit. Quid
lachrymæ pœnitētis quæ de genis numerosæ cadūt, nonne suaues
illi sunt? Suauiores certe q̃ ulla uoluptas in terra. O q̃ suauis illi
pia uigilia, iugis et certa deprecatio, q̃ contemplatio delectabilis,
q̃ dulcis abstinentia: uilis apparatus et prædurus, assidua prostra-
tio corporis, humiliatio, inclinatio, genuflexio cæteræq; similes ob-
seruationes erga deū quantā dulcedinē afferunt ultro seruantib⁹?
Ineffabilis ista, ineffabilis delectatio nisi frequētanti. Multi uident Bernard⁹.
cruces nostras, sed non unctiones nostras inquit mellifluæ pietatis
, Bernardus. Mors ipsa uero pœnitenti delectabilis. Ait enim cum
, Apostolo Quis me liberabit de corpore mortis huius Cupio dis- Roma. 7.
, solui et esse cum CHRISTO. Feruor cupiditatis eius in deo re- Philipē.1.
sidet: cor, spiritus, anima, corpus, uita, mors, in deum omnia ten-
, dunt. Terrenus homo non hoc percipit Animalis homo non 1.Cori.2.
, percipit ea quæ sunt spiritus. At Propheta noster uere pœnitenti-
um uerum exemplar, eo totus aduoluitur: sursum spirans, sursum
, euolans per mentis ardorem, per æstum desyderij clamitat Domi- Littera.
, ne ante te omne desyderium meum, Supra mundana contendens,
summis inhians, semetipsum derelinquit: contra se peccatorem Desyderium vere penitentis i solo xpo quiescit.
feruet, æstuat, irascitur, fremit: et contemptis inferioribus ad su-
, perna mente conscendit, in deo quiescit inquiens Ante deum om-
, ne desyderium meum. O christiane, consyderes oro christiane mi-
rabilem huius pœnitentis amorem, consydera quas desyderij flam-
mas habuerit erga deum, quantas faces gestarit in pectore, oro
consyderes ut imiteris Consydera, respice pœnitentem istū o chri-
stiane pœnitens, qualiter accensus, ignitus, qualiter inflammatus
V. erat ipsius dei desyderio, Nec uel iota unum amoris eius erga cor-
V. pus, non iota ad mundum, non erga uoluntatem propriam: sed
, totus in deum et coram deo patuit Ante te (inquit) domine omne
, desyderium meum. Sed uereor admodum ut fueris neq; frigidus,
, neq; calidus, nihil in te firmi, nihil synceri, nihil habens. Vtinam Apoca.3.
frigidus

Semina tepiditas. frigidus esses aut calidus (inquit dominus) Sed quia tepidus es, et nec frigidus neq; calidus: euomam te ex ore meo. Aqua tepida nauseam cito prouocat. Ideo satis apposite uomitum sibi factum a tepidis istis hominibus: qui non relinqunt deum sed nec eius amore ferueſcunt, ait dominus. O tepiditas abijcienda christianis, qui cum propheta sic in amore dei caleſcerent, ut suū totum in eo desyderium collocarent. Cæterum accusanda tepiditas quæ calorem sequitur, non quæ præcedit, quæ ad remissionem feruoris decidit, non quæ ad feruorem aſcendit. Hac peruenitur ad calorem, illa caditur ab eodem. Aqua nanq; calefacienda, tepeſit anteq̄ caleat: calefacta redit ad teporem si non adhæreat igni, faciliusq; gelaſcit q̄ si calida non fuiſſet. Fortius etenim agit natura, ubi maiorem repugnantiam inueuit. Sic quiſquis uir bonus uirtutibus accreſcit, igni diuino applicatus, per teporem ad caliditatem diuini amoris aſcendit: quem si remittat et non nutriat uſq;, recidit ad tepiditatem, mox ad frigiditatem deueniens: per quam fit ut in stomacho diuinæ concoctionis, ubi bonū a malo preciosum a uili separatur, stare nō poſſit. Christianis hoc omnibus accidit, præsertim religiosis atq; ecclesiasticis: qui cum manum suam ad aratrum dei miserint, et retro se postea uerterint: ab eo tanq̄ infideles

Luce. 9. et inepti serui repelluntur. Quia Nemo mittens manum suam ad aratrum et aſpiciens retro, aptus est regno dei. Monet itaq; Chri-

Luce. 17. stus in euangelio Mementote uxoris Loth: quæ q contra dei præ-

Genc. 19. ceptum retro aſpexerit, in statuam salis uersa est. Vnde uir bonus et prudens, sapiendi cauendiq; anſam arripiet: ne postq̄ ad deum iter instituit retroaſpiciat, aut cum in amore dei calefactus fuerit, reflectendo tepeſcat. Tepeſcat autem ut in amoris diuini feruorē aſcendat, nunq̄ ut ab eodem recidat tepeſcere debet. Qui tendit ad calorē, iuuari meretur: qui corruit ab eodem, a deo relinquitur. Bene incipiens proficit, proficiens fit perfectus, unde cauendum est ne deficiat. Quomodo quis incipiēs creſcat, deus in Abrahamo

Gene. 12. docuit, cui dixit Egredere de terra tua, de cognatione tua, et de do-

Expo. mo patris tui: et ueni in terrā quam monstrauero tibi: et faciam te

in gentē

in gentem magnam. Hoc ad literam Abrahamo propositum est, in spiritu tibi christiane proponitur. Tibi dicit dominus Egredere de terra tua, egredere de terrenis affectionibus tuis: per quas quæ tua sunt non quæ IESV CHRISTI quæritas. Egredere de nimio corporis tui, de nimio consanguineorum et affinium amore. Sed dices Quænam est terra de qua iubemur egredi? Contra naturam est terram hanc, propriam terram relinquere. Enimuero scriptum est Terra es et in terram reuerteris. Terra es secundum corpus, quod de terra prodijt et in eamipsam iterum ibit. Igitur ab amore nimio huius corporis auocamur, delicijs istis et appetitionibus eius inhærere prohibemur. Ait etiam Egredere de cognatione tua. Vbi non solum (quod prius) ab amore nimio nostri sanguinis retrahimur, sed et a societate quorumuis malorum, a frequentatione consuetudineq; peccatorum omnino uocamur: ne si mala frequentemus aut malis associemur, cum malis utiq; dispersdamur. Q; si quis hijs rebus infectus naturam aut fortunam accuset: multo maiorem iniusticiæ suæ speciem ostentat. Iustus enim in principio accusator est sui. Tercio iubemur egredi de domo patris. Sed q̃ inhumanum est hoc præceptum, q̃ non diuinum esse uidetur? Præcepit enim deus Honora patrem et matrem ut longæuus sis super terram: et naturæ debitum est ut qui nostrum esse suscepimus a parentibus, eosdem ipsi minime deseramus. Certe nos simul et parentes a deo sumus. Ideo qui amat patrem aut matrem plusq̃ deum, non est eo dignus. Relinquendi sunt parentes infideles, ut deo per fidem hæreamus. Vnde fidelis Abraham uocatus est ab infidelibus. Sed et nobis in uniuersum fidelibus, pater alius q̃ fidelis proponit̃ relinquendus. Quis iste pater est inquis? Scribitur Nati sumus iræ filij. Per peccatũ originale nascimur iræ filij. Is pater in baptismo relinquitur. Relabimur in mortale peccatũ et efficimur filij damnationis. At ille pater pœnitentia deserendus. Damnationis uero pater diabolus est: de quo CHRISTVS Iudæis mortalibus suis inimicis ait Vos ex patre diabolo estis, quia opera eius facere uultis. Huiuscemodi pater omnino

Egrediendũ de terra propria, et pater relinquẽdus.

Gene. 3.

Gene. 12.

Prou. 18.

Gene. 12.

Exodi. 20.

Matth. 10.

Ephe. 2.

Iohis. 8.

relinquendus. Iam intelligis o christiane qui crescere cupis in uera pietate: qualem patriam egredi debeas, qualem cognationem, patremq; qualē relinquere. Illinc egresso dicit Veni in terram quam monstrauero tibi. Terra locus humilis est, et eius nomine signat humilitas: quam CHRISTVS in carne nostra nobis ostendit, inquiens Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Terra miseriarum uallis est, in qua nos ad pœnam ac pœnitentiā exemplo suo CHRISTVS euocans ait Exemplum dedi uobis ut queadmodum ego feci, sic et uos faciatis. Quodnam autē est exemplum illud, nisi quod iam diximus: ut et Petrus ibi confirmat Passus est pro nobis, uobis relinquens exemplū ut sequamini uestigia eius. Eius inquam, et qui illum imitātur. Abi post uestigia gregū eius. Grex eius omnes probi patres, omnes iusti, sanctiq; sunt. Quorū hij fuerunt agni per innocentiam, oues isti per patientiam, illi boues per maturā fortitudinē, Elephantes nonnulli per castitatē, alij cerui per celerem cursum quo feruntur in amorem dei, sed et aselli quidam erant per simplicitatem. En ipsum gregem CHRISTI IESV. Horum imitatorū CHRSTI sectanda uestigia. Quorū unus Paulus in eundem nos modum adhortatur Estote (inquiēs) imitatores mei, sicut et ego CHRISTI. Ipsi enim scitis queadmodum oporteat nos imitari, Vt subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem quā acceperunt a nobis, et obseruetis eos qui ambulant iuxta formā nostram. Estote ergo inquit imitatores mei, sicut et ego CHRISTI. Habemus enim uiuēdi formam ab Apostolo et euangelio CHRISTI nobis præscriptam: quā sequi debemus. Propheta uero pœnitens sequendi quoq; præbuit exemplum, qui patrum suorū uestigijs insistēs, corporales a se delectationes exclusit, exclusit prorsus: et carnem animo subijciens, omnem peccandi consuetudinem cum impulsore diabolo longe proscripsit. Proborum autem et sanctorum hominum exemplo præsentia quæq; contempsit, aspirans ad futura: contendens ad deum, quicquid est mundi posthabuit, inquiens Domine ante te omne desyderium meū. Signanter desyderium

Gene.12. Matth.11. Iohis.13. 1.Petri.2. Cantico.1. Expo. Grex christi. 1.Corin.4. 2.Thes.3. Philipē.3. 1.Corin.11. Littera.

derium et nō cupiditatem ait. Desyderare siquidem et cupere differunt. Cupere est finem simpliciter appetere, non præmisso medio. Desyderare uero conari ad finem per ea quæ media sunt. Attritus enim fœlicitatem expetit, sed media fugit, quibus ad eam peruenitur: fugit afflictiones debitas et tribulationes, non adimplens debitam pœnitentiam. At oportet per tribulationes multas intrare regnum, inquit scriptura. Contritus uero cuilibet se supplicio subdens pro peccatis, per ueram pœnitentiam ascendit ad iusticiam regni: et desyderatum finem assequitur. Qui nanq; desyderat, conatum omnem et affectum in finem ita dirigit, ut nihil oneris, eius causa recuset: sicut propheta mentem totam ad cōsequendam dei gratiam apponens, magno cum fletu magnoq; gemitu quæsiuit, ita subijciens Gemitus meus a te non est absconditus. Abscondit a deo gemitum, qui terrenis rebus indolet amissis: nō abscondit qui cœlestia terrenis anteponit. Quæ enim secundum deum tristicia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi uero tristicia mortē operatur. Quare monet Apostolus secundum deum contristari, ut in nullo detrimentum patiamur. Hæc etenim tristicia, hic gemitus: piam solicitudinem, castū timorem, et cœleste desyderium operatur in nobis. Gemendū itaq;, gemendum: mittendæ cum propheta lachrymæ. Nam ut Agricolæ siccitatis tempore terram irrigare solent: sic Propheta Dauid in defectu gratiæ, lachrymis ora spargit. Illi faciūt ut ariditas nimia multiplicanda sæmina non impediat: hic ne per peccata fructus operum emercescant. Sensit enim intus, sensit istiusmodi siccitatem quandā animę, quando dixit Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Aquam infusionis diuinæ per peccatum effuderat: et ideo terram arentem fructusq; negantē, hoc est animam gratia uacātem imbre gemitus et lachrymarum, imbre supernæ infusionis rigare cœpit: et per pœnitentiæ lachrymas in dei gratiam peruenit. Sic Petrus ueniam obtinuit, sic Magdalena remissionem inuenit, sic Martha sanitati est restituta, Cananæa filiæ sanitatem exorauit, sic Lazarus resuscitatus, et sanatus Ezechias. Nemo (inquit Bernardus) flens

Differentia i. desyderare et cupere.

Actuū. 14.

Littera.

2. Cori. 7.

Psal. 142.

 ad deū

ad deum accessit, qui non impetrauit quod postulauit. Audeo di=
Bernard⁹. cere, audeo profecto ꝙ nec mundus diluuio perijsset, si ad lachry=
mas confugere uoluisset. Profecto rex David in ipsa turba homi=
num, in media ciuitatum frequentia: multo fuit ardentior se com=
pungendo, q̄ plærīq; solitarij. Vberiores fletus et magis iuges
emittebat lachrymas atq; gemitus: quos noctu simul ac interdiu
fūdebat abūdantius q̄ ipsorū aliquis qui crucifixi CHRISTO ui=
deri uolunt. In quo non modo cōsyderandum ꝙ luxerit, sed etiam
quis et qualis ipse fuerit qui lugebat. Magnū et mirabile quiddā,
uirum tantum, tam illustrem, tam potentem adeo se deijcere, adeo
se curuare, adeo in conspectu dei se humiliare, tot altantibus et ad
nutum omnia facientibus. Omnes ei deferebant, uerebantnr om=
nes, sedulo uenerabantur: et interim ipse se deo magis ac magis
incuruabat. Parua res est si se prosternat inferior aliquis: multo
maxima, quando tam sublimis fit humillimus: quando summus
inter homines fit infimus deo: quando gloriosus coram homini=
bus, iudicio suo fit abiectus in conspectu dei. Qui tot diuitijs af=
fluunt, tot diffluunt delicijs: qui conuiuijs excedunt ubi tot iocis
ac instrumentis ludicris et musicis abūdant, qui tot uoluptatū ua=
rietatibus, tot luxus et lasciuiæ generib⁹ ubiq; scaturiūt, ut uos au=
Luxus aulicorū ꝯpūctionē nō patit. lici: quomodo mittent fletus oculorum? Quomodo lachrymæ ca=
dent inter eos aut gemitus ulli fient, ubi parietes etiam ipsi saltant
et tripudiant: ubi scabella, scanna, sedes omnifariæ musicalia so=
nant et iocosa referunt: ubi nulla non mœstucia dico, sed nec gra=
Chrysosto. de cōpūctione cordis. 2. li. uitas extare poterit? Inter hæc omnia quem locum compunctio
cordis habebit, tot obstaculis repulsa? Sicut impossibile est (ait
Chrysostomus) ut inflammetur ignis in aqua: sic impossibile est
Littera. compunctionem cordis in delicijs uigere, Gemitus (inquit) meus
a te nō est absconditus. Gemitus autem est luctus interior, et gra=
uamen cordis quo dolor eius intenditur. Et est hic dolor acceptis=
simum deo sacrificium. Cui mos ille testamenti ueteris astipula=
tur: ubi populus placabiles hostias deo pro peccatis obtulit, qui=
bus mitigata est ira dei ut non puniret alioqui puniri meritos.

Iam tu

Iam tu peccator, deo displicuisti. Placandus ergo tibi sacrificio. Verumenimuero te laicum esse non sacerdotem aut ecclesiasticum alioqui uirum ais, ad quem modo pertineat sacrificiũ offerre, sicut ibi scribitur Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cõstituitur in hijs quae sunt ad deũ, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: et quemadmodum pro populo, ita debet et pro semetipso offerre. Sed hic obiter mihi cõueniendi sacerdotes, quorum est haec tam sublimis sacraq; potestas: q̃q̃ id etiã ipsum alibi tetigi. Tu qui selectam sacrificandi facultatem habes o sacerdos, qui tanq̃ mediator es inter homines et deũ et intercedis inter deũ et homines: qui cum sis iudex in illo secreto foro conscientiae, procurris ab homine ad deum a deo ad hominem, solicitando causam animae coram deo: tu qui claues habes quibus coelum aperis hominibus et claudis, tu qui in sacro altari ipsũ deũ uiuentẽ consecras, qui deo deum offers, filium patri: oculis aspicis, manibus attrectas, ore ad os loqueris, ore suscipis: quid tibi faciendum o sacerdos? quid non omni cura praestandum ut hanc potestatem inuiolatam obserues? O sacerdos minister domini, nullus hominũ, sed nec Angelorum: non Cherubin aut Seraphin, nec aliqua creatura: sed ipse dei spiritus hoc munus instituit. Hoc officium omne aliud transcendit, rem omnem superat. Ligare, soluere, seruareq; damnare: cui unq̃ Angelorum est concessum? Quae deorsum sacerdos operatur, dominus sursum confirmat: sententiã seruorum in terris, dominus corroborat in coelis. O sacerdos q̃ pie debes ergo uiuere, q̃ pure, q̃ sancte semper agere? Peccatum enim tuum o sacerdos peccato centum uiliorum est nocentius, exemplum tuũ malũ multo plures deprauat: sed uirtus itidem tua caeteros ad uirtutem allectat. Oratio tua de syncero pectore profecta, gemitus ab imo corde deriuatus: sacrificium est mundissimum. Sacerdotes (ait Ioel) plorabant inter uestibulum et altare, ministri domini dicentes Parce domine, parce populo tuo Et sequit̃ Zelatus est dominus super terram suam, et pepercit populo suo, et dixit populo suo Ecce ego mittam uobis frumentum, uinum et oleum: et re-

Hebrae. 5.

Summa dignitas et potestas sacerdotis

Ioelis. 2.

plebimini in eis, et non dabo uos ultra in opprobrium. En uirtu-
tem et efficaciam orõnis piorum ſacerdotũ: qua tam magnificum
dei beneficium impetratur. En ſingulare ſacrificiũ et inprimis ac-
ceptabile domino, uide ſolenne ſacrificium Euchariſtiæ, precioſiſ-
ſimum omnium: quod ſacerdotibus ita creditur, ut ipſi ſumant et
Laicus quomodo ſacrificare poteſt. dent alijs. Tu quoq; laice (ut ad te demum redeam) ſacrificiũ ha-
bes quod offeras deo, nec eges altari in quo ſacrifices. Non ibis in
Arabiam unde thus quæras, ubi ſacrificium emas: non aurum, ar-
gentum, aut precioſos lapides aliunde requires: non hircum, ui-
tulum, aut arietem: non agnũ non animal quodcunq;, non ignem,
non aromata, non externum aliquid tecũ adduces. Internum eſt,
internum quod deus poſtulat, in te eſt quod ipſe quærit: locum ei
congruum in pectore geſtas. Ad te redi, in teipſo eſt plane quod
immolare debeas. Quidnam eſt, inquis? Docentem audi prophe-
Pſal. 50. tam Sacrificium deo ſpiritus contribulatus, cor contritum et hu-
miliatũ. Quis iſte ſpiritus eſt contribulatus? Quod eſt iſtud cor
contritum? Per ſpiritum contribulatum et cor contritũ compun-
ctam animam intelligit et contritã, animam quæ ſua peccata cum
dolore recogitat, quæ triſtatur admodũ et ingemit ꝙ deum offen-
derit, ꝙ ſeipſam uulnerarit, et peccando ſanguinis CHRISTI
10. Verſus preciũ amiſerit: de cuiuſmodi corde ſubiũgẽs ait COR MEVM
CONTVRBATVM EST IN ME, dereliquit me uirtus
mea: et lumen oculorum meorum non eſt mecum. Quare contur
batũ ſibi cor ait? Certe quia peccato corrupit. Quare conturba-
Secura conſcientia nihil formidat. tum? Etiam quod ſequitur exponit Dereliquit me uirtus mea.
Dum repentinum aliquid forſan et horrendum accidit, dũ tonat,
fulgurat, aut impetuoſus aer alioqui ſtrepit et horribiliter inſonat:
cor inſilit, turbatur cor et contremiſcit. Subitarius fortaſſe leonis
occurſus, inſidiæ latronum, et alij caſus infœlices timorẽ incutiũt,
et cor turbari faciunt. Vnde fit? certe Quia dereliquit me uirtus
mea, deſtituit me mea fortitudo. Quæ ſi maneret integra: nihil
mortale perterrefaceret eandem. Si maneret integra, quicquid ob-
nũciaretur, quicquid inceſſeret mali: quicquid moleſtũ infrenderet
aut graue

aut graue sonaret, quicquid uspiam eueniret: haud perterreret. Dicit enim uir fortis in domino, cum Ap'lo Omnia possum in eo, qui me confortat. In quo uirtus ipsa floret, terrenum nihil ipse reformidat: non nuditatem, non pauperiem, non carcerem, nō gladium, sed nec ipsam mortem: nihil denique praeter deum reueretur, nihil praeter eum, aut eius causa diligit. Contra, quem uirtus sua dereliquit, passim omnia pertimet. Sed ipsa uirtus, qua de causa derelinquit? Audi quod subditur Lumen oculorum meorū et ipsum non est mecum. Quia lumen oculorum meorum extinctū est, ideo uirtus me mea dereliquit. Lumen etenim oculis internis deus est, qui peccata fugit et peccatores ubique deserit. Fuge peccatum, et non restinguetur in te lumen oculorum, qui est CHRISTVS. CHRISTVS etenim ipsa lux est, et in quo nullae tenebrae sūt, ut ibi scribitur Erat lux uera quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, uenit Ioannes ut testimonium perhiberet de lumine. Nec sine magna causa additur illud Et ipsum. Pronomen istud ingentem facit emphasim. Ipsum inquit lumen, ipsū uerum et substantiale lumen sine quo nihil in mundo luminis est, ipsum sine quo cor humanum in tenebris est, ipsum sine quo uiuere non ualemus, ipsum sine quo bonum a malo discernere nequimus. Lumen istud Adamus noster amiserat, quando post peccatū rogante domino Adam Adam ubi es, fugiens se abscondit inter ligna paradisi. Lumen illud ineffabile manere non poterat, quod peccando nequiter offenderat. Priuatus innocentiae tegumento, corporale requisiuit indumentum: alienatus ab ipso uero lumine, solatium quaesiuit in umbra, fugit ad umbrā, se abscondit inter medias et consertas arbores, pauebat a dei facie, de nuditate uerecūdatus est. Post auditionē diu dissimulatam denique respondit Audiui domine uocem tuam: sed timui, quod nudus essem. Non se nudū antea sensit: quia iusticia tegebat inuestem, peccatum omnis necessitatis et indigentiae fuit origo. Lumen oculorum suorū ab isto lumine caecus sedens secus uiam exorabat. Is mendicans cum audisset strepitum turbae praetereuntis, quidnā hoc esset rogitabat.

Philip. 4. Expo. Littera. Internum lumē oculorum christus. Iohis. 1. Gene. 3. Ibidem. Luce. 18.

Et quis

Et quidam dixerunt, ꝙ transiret IESVS Nazarenus. Ille uero
hoc audiens cum ſpe ſumma clamare cœpit IESV fili Dauid mi=
ſerere mei. Increpabant eum illi quo taceret. Sed ipſe magis ac ma=
gis inclamabat Miſerere mei fili Dauid, Tunc ſtans IESVS iuſ=
ſit adduci, et adductum interrogat Quid uis faciam? Reſpondit,
Domine ut uideam. IESVS ei Reſpice, fides tua te ſaluum fecit.
Et confeſtim uidens ſequebatur illum, magnificans deũ. Hic cæ=
cus ſanitatem exteriorum oculorum obtinuit, ut te lumen interno=
rum impetrare doceat. Non te cæcum eſſe dices, ut pro reſtituen=
da luce preceris. Cæco es cæcior ſi ita cogites: cæcus es ſi recta pu=
raq; mente careas, longiſſime falleris, ſi te nõ errare putes. Cæcus
es ergo per errorem, peccato cæcus cum hoc mẽdico ſedes in tene=
Ephe.5. bris. Quid in tenebris aio? Immo fuiſtis ipſæ tenebræ. Eratis e=
nim aliquando tenebræ (dicit Apoſtolus) nunc autem lux in dño.
Si itaq; lux in domino, tenebræ ſine domino: ſi lux in domino et
Pſal.33. tenebræ ſine domino, quid in uobiſmetipſis niſi tenebrę? Accedite
Iohis.1. ergo ad eum et illuminamini. Accedite ad eũ qui illuminat omnem
Eſai.9. hominem uenientem in hunc mundum. Populus enim qui am=
bulabat in tenebris uidit lucem magnam, et ſedentibus in regio=
ne umbræ mortis lux orta eſt eis. Si per peccatum tenebræ fuerint
in uobis et quotieſcunq; fuerint: hæc lux accedentiũ ad ſe per ue=
ram pœnitentiam, et inuocantiũ ſe tenebras expellit. Hortor igi=
tur ut clametis ad hanc lucem. Clamet unuſquſq; ueſtrũ cũ men=
dico IESV fili Dauid miſerere mei. Clama Miſerere mei fili Da=
uid. Clama clama, ſed intus et in corde clama. Sit inclamatio tua
frugifera, ſit pia, ſit gemebunda, flebilis ac lachrymoſa: ſit ueri pœ=
nitentis oratio. Hoc eſt enim IESVM inuocare, per gemitum
cordis ad animæ ſalutem aſpirare. Si clamanti tibi quis obſteterit,
ſi quis increpauerit, ſi quis impedire cœperit: tanto acrius incla=
mato, ſi quis minus piam et laxiorem uitam tibi ſuaſerit, tu tanto
pientiorem et magis arctam ultro ſequere. Cæteris obſtrepenti=
Luce.18. bus magis atq; magis ipſe clama Domine uideã. Videam ipſam,
uiam ueritatis, uirtutis et iuſtitiæ uiam introſpiciam. Sic uideam,
utte

ut te timeam, te diligam, ut præcepta tua synceriter obseruē. Sic domine uideam, ut gratiam tuam inueniam: ut quæ tibi grata fuerint, semper adimpleam. Certe sic interpellantem dominus exau-
, diet, sic oranti quod ante cæco mendico, dicet Respice, fides tua te Ibidem.
, saluum fecit. Fides ista te liberauit a cæcitate mentis, fides lumen ueritatis tibi plene restituit, per fidem uidebis omnia saluti necessaria: quam si conseruaris integrā te perducet ad lumen æternum, ad cœleste domicilium. Propheta uero per hoc lumen peruenit ad sui noticiam, per hoc peccati sui conscius ruebat in pœnitentiam, multas per hoc pœnitendo sensit intus anxietates: quarū aliquas deus, alias imposuit ipse sibi, de quibus ante meminimus: et aliæ quidē ab externis quibusdam cū inijmicis tū etiam amicis inflictæ
, sunt, de quibus ita subiūgit AMICI MEI ET PROXIMI 11.Versus.
, MEI ADVERSVM ME appropinquauerunt et steterunt.
, Et qui iuxta me erant de longe steterunt, et uim faciebant qui quę-
, rebant animā meam. Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt ua-
, nitates, et dolos tota die meditabantur. Pœnas a deo sibi inflictas
A. attigit ibi Sagittæ tuæ infixæ sūt mihi: inflictas a se sibi illic tetigit Psal.37.
, Afflictus sum et humiliatus sum nimis, nunc eas adijcit quas ab Ibidem.
amicis et inimicis, a proximis atq; uicinis usq; pertulit. Experti sumus ab exordio mundi frequenter amicos et proximos, cōsanguineos et affines qui fideles essent amici, fuisse capitales inijmicos et persecutores hominum bonorū moribus et uita sibi dissimilium. Semper filij hominū persequntur dei filios, ciuitas diaboli dei ciuitatem odit. Ante diluuium, Cainus factus est aduersarius Abeli iustissimo: in quem insurgens, interfecit. Post diluuium, Chamus patri fiebat inijmicus, Semū quoq; fratrē perosus. Filij Nembrothi Abrahamum et fideles sub eo persecuti sunt, fratrem Isaacum Ismael, Esaus Iacobum, Mosen et Israelitas oppressit Pharao, Iezabel Heliam, Ioannem Baptistam Herodes atq; Herodias, et populus omnino gentilis dei populum, ecclesiamq; CHRISTI: filij carnis filios promissionis odio habent, terrena ciuitas cœlestem
, inuidiose perturbat. Si de mundo essetis diligeret uos mundus Iohīs.15.
inquit

Pœnarum ob peccata varietas.

Ibidem. inquit CHRISTVS, sed quia de mundo non estis ideo odit uos mūdus. Semper boni male tractantur a malis, et innocentes a nocentibus turbantur. Cum peccator cœperit ad deum et ad pœnitentiam conuerti, cūq; de peccatis indoleat, animaduertens quæ pœna peccatores maneat in exitu, quantas et q̃ graues tētationes incurret, q̃ multa sustinebit obstacula, plura nimirum q̃ unq̃ antea sustinuerat: quo maiorem animum habet recte uiuendi, eo plura semper inueniet impedimenta, plures interruptiones et offendicula. Prætendunt faciem amici, sed fallaces sunt inijmici. Amici

Tres capitales hominis inijmici. nō sunt sed uideri uolunt, dū sua proponunt illectamenta. Mundus pro se multa delectabilia profert: q̃ gratū sit et q̃ suaue uitam mundanam, uitam honorificam, uenerabilem et gloriosam agere: q̃ splendidum in propatulo uideri, ab hominibus prædicari, fama publica cōmendari, inter homines magnifieri, magnifice extolli,

Persius. in aulis regum sublimem esse: q̃ pulchrum a multis iactitari, monstrari digito et dicier hic est: q̃ honestum præclara et perpulchra corporis liniamenta, perpulchreq; uestita coram omnibus ostentare: q̃ præstans ditari, q̃ uenustū hoc aut illud opus egregiū posse facere, sicq; longa memoria ferri. Caro suas oblectationes, suas delicias offert: epulas, ludos, somnos, et carnale in totum uiuendi genus, Subeunt amici consanguinij et uicini cū hijs nonnunq̃ ut hæc facilia grataq; persuadeant, et pœnitentiam tanq̃ molestam dissuadeant: ut ad lasciuiam ac dissolutionē prouocent, ut ab omni uiuendi austeritate retrahant, et ad diabolum adducant. Irrepit una diabolus ut offirmet omnia quæ suadentur, ut uirtutem extinguat et uicia constabiliat. Oh quales amici sunt isti? Non amici

Matth.10. sunt, sed inijmici perniciosissimi. Inijmici hominis domestici illius. Nec est peior pestis q̃ familiaris inijmicus. Sin amici dici uelint, ueri non sunt sed ficti: non credendi, quia fallaces. De huiusmodi

Eccle.6. non ueraci amico scribit Ecclesiasticus Est amicus secundum tempus suum, et non permanebit in tempore tribulationis. Tales amici hirundinum instar habent, quæ sub uerna tempora ueniūt et paulomox auolant. Sic enim isti afflante sibi fortuna cōuolant,

reflante diffugiunt. Q̃diu quis poteſt et uult mundano more uiuere, commeſſare, potare, ludere, preſto ſunt: ſi uel fortunã deſerat uel ab eadem deſeratur, ſi hæc omnia mundi nugamenta relinquat peccataq́ʒ ſyncere defleat, ſi a paraſitis et aſſentatorib⁹ abhorreat, ſi per ueram pœnitentiam ſpiritum contribulatũ et cor contritum habeat: hij ſimul omnes aufugiunt, derelictum odio habent, perſequntur, irrident, quibus poſſunt modis omnibus impugnãt. Adeo ueri pœnitentes in bono propoſito perturbantur: quo melius cupiunt et facere conantur, eo plures interruptiones habent: quo ſtudioſius ad deũ aſpirant, eo grauiora retinacula patiuntur: quo diuinius ad uirtutẽ intendũt, eo maiora ſentiunt impedimẽta. Vir et mulier qui ſunt una caro, ſunt uterq́ʒ alteri in uirtutis operibus et fidei uotis impedimento. Si mulier abſtemia ieiunare peroptet, maritus edax obſtabit. Si uir pius corpus ſuum macerare ſtudeat, obſtrepera mulier impediet. Mulierem bonã atq́ʒ ſanctam ab oratione, ab eleemoſynarum erogatione uir impius abducet: uxor impia maritum pientiſſimum auertet. Malus pater bonum filium ſæpe deprauat, mali cognati bonos ſuis moribus inficiunt, ueros amicos ficti polluũt amici, proximi proximos a uirtutis uia retrahunt. Sic uniuerſim alter alterum ab itinere quo pergitur ad deum, reuocare ſolet. Si coneris ad deum, exiſtit illico qui te reuocet: ſin ad diabolum, idem eo pertrahet. Induxiſti in animũ ut ieiunes? Statim aderunt qui diſſuadebunt, qui dicent tibi Caueſis a ieiunio, obeſt enim corpori, et ex forti facit imbecille, e ſano ualitudinarium. Dicent Tu diſpenſationem nactus es apoſtolicam, qua uiuas liber a ieiunio, liber a dura frequentia precum debitarum, a peregrinatione longa, a ſtudijs et uigilijs: et uis denuo collũ inijcere in capiſtrum? At ego dico tibi qui talia diſſuades bona, nullam haberi poſſe diſpenſationem: qua per quietem et delicias euadas in cœlum, qua citra pœnã conſcendas ad aſtra. Dicit enim

Qualiter amici amicos a deo retrahunt.

, Apoſtolus, in quo CHRISTVS loquitur Non eſt regnum dei Roma.14.
, eſca et potus. CHRISTVS affirmat Oportet per tribulationes Actuũ.14.
, multas intrare in regnũ dei. Contra ea quæ dicuntur ab hijs, nulla

fit diſpẽ=

Luce. 24. fit dispensatio. Scriptum enim est, quoniam oportebat CHRI-STVM pati, et sic intrare regnum. Si oportuerit ipsum, quanto maior nobis necessitas incumbit? Igitur aduersum hos qui sic impediunt, aduersum hos qui sic obsistunt bene pieque uolentibus, probe riteque facere studentibus, per suasus suos admodũ detestabiles: talem propheta querelã instituit Amici mei et proximi mei, aduersum me appropinquauerunt et steterunt. Sæpissime diabolus quod per se non potest, per istiusmodi amicum attentat: per hunc uiam affectat qua te pertrahat ad gehennam. Quare de talibus uerissime CHRISTVS affirmat Inijmici hominis domestici illius. Nam diabolus multos per eos qui ualde diligunt ab ipsis, illaqueat, et per ipsorũ uerba qui plus cęteris amantur, blandiendo sæpe loquitur: ut dum uis amoris perforat, facile persuasionis eius gladius ad intimæ rectitudiuis munimẽ itrũpat. Non ergo te priuet cœlesti corona amor naturalis, non amor sensualis, non parentalis, non coniugalis, non amor patriæ aut sociorũ: nullus amor temporalis, nullus denique carnalis, nulla carnalis affectio te retrahat aut retardet a deo. Vt de omnibus hijs seriatim agamus, Est amor naturalis inclinatio quædam ad cõseruationem et curam sui esse. Communis est amor iste creaturis omnibus tam sensitiuis quam insensilibus. Inde fit ut aquæ fontium, riuorum, fluminũ ad mare decurrant: maxime quod illum locum sibi propriũ in quo seruantur adamẽt. Inde fit ut lapis in altũ proiectus recidat in terrã, ignis sursum euolet ubi conseruatur et quiescit. Hinc est quod omne genus animantium, se, uitam, corpusque suum tueatur, quæ sunt ad uiuendum necessaria quærat, nocituraque declinet: ut pastũ paret: ut latibula, ut alia eiusdem generis. Commune est animantiũ omninm coniunctionis appetitus procreandi causa, et cura quædã eorum quæ procreata sunt. Hijs cũctis uita charissima est. Vnde boues, agni, uituli, porcelli quãdo trahuntur ad carnificinam, quoad possunt contranituntur: quando mors ipsa subintrat omni ui sua resistunt. Sed hic amor eximie patet in anima corporeque humano. Quamquam corpus est uilissimum animaque preciosissima: nõ uult anima

Litter a. (beside "biles : talem propheta")

Matth. 10.

Amor natu-ralis.

Cicero. 1. officiorũ.

B.

corpus ultro

corpus ultro deserere. Si uelle posset, id appareret in religiosis hijs et perfectis hominibus: de quibus Paulus ꝙ naturaliter cum cæ=
, teris uiuere desyderent, affirmat Nos inquiens ipsi ingemiscimus Roma.8.
, primicias spiritus habentes, eo ꝙ nolumus expoliari, sed superue= stiri: nolumus corpore priuari, sed una cũ corpore regnũ intrare. Si quis uoluntariam Apostolorum, ultroneam martyrum mortem assignet, et eandem a multis confessoribus exoptatam: non ex hu= mana uirtute sed dei dono, fortitudo illa manauit. Si quis obijciat
, ꝙ alibi Paulus asserat Cupio dissolui et esse cum CHRISTO, et Philipẽ.1.
, Quis me liberabit de corpore mortis huius: dicebatur id non na= Roma, 7.
turæ sed diuini spiritus instinctu, qui naturam superat et transcen= dit. Probandus amor iste naturalis, si suos intra limites sese conti= neat: si non a spiritusancto dirigatur, improbandus. Si quis ideo uiuere cupiat ut congaudere possit et condelectari superuacaneis huius mũdi uoluptatibus, ut diu (neglecta animæ salute) cõcupis= centiam expleat: pessime cupit. Si nunc ita uitam amet ut propter ipsam contra dei mandata facere non dubitet, improbus est amor hic, improbus dignusꝗ notari: talis amor deducit ad inferos. Sed si quis longiorem sui conseruationem idcirco desyderet, ut (quod
, orat ecclesia) spacium uere pœnitentiæ et emendationem uitæ ha= Ecclesia.
beat, ut præcedentia merita sua coaugeat, ut alijs sibiꝗ præterea prodesse possit, paratus etiam ante mori q̃ crimen aliquod capitale committere propter corporis conseruationem: non peccat sed rite
, facit. Sensualis amor est pronitas et inclinatio mentis, ad ea quæ Amor sensua
, sunt delectabilia sensibus. Vnusquisꝗ nanꝗ sensuum amat con= lis.
cupiscibile suum, et delectatur obiecto suo sibi satis accõmodato et proporcionato. Visus ad ea quæ decora sunt et pulchra uisu tra= hitur: Auditus musica, cantu, suaui sono, delectabili grataꝗ uoce capitur: Olfactus ad florũ, unguentorum et aromatum fragran= tiam, ad odoramenta quæꝗ rapitur. Gustus condimentorum et saporũ dulcedine mulcetur: Tactus etiam sua delectatio est. Sed huic amori si non assit regula, si nõ hic regat a sancto spiritu: plusq̃ bæluinus est. Hoc amore multi sunt infatuati, multi ad nequiciam

tracti, multi penitus perditi. Ducit enim hic amor ad curiositates istas, ad uanitates, ad tripudia, ad ludicra, ad spectacula, ad crapulam, gulam et ebrietatem: ad luxuriam, segniciem et auariciam: ad iram, inuidiã et superbiã: ducit ad carnalitates omnifarias. Præcepta dei uiolari facit, dei dona negligi. Si uero amor iste a spiritusancto gubernetur: tantũ corpori spirituiq; necessaria quærit, superflua quæq; resecans: et quisquis ita facit, ad hanc uitam adijciet æternam, uti scribit Apostolus Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Amor utiq; magnus est parentum in filios, et filiorum erga parentes: et eo quidem maior quo parentela propinquior. Verum si fuerit hic amor immodicus et sine regula sancti spiritus, multa mala procreat. Plæriq; parentum ob nimium erga filios amorem, damnati sunt: et multi filij parentibus nimis obsequiosi, perierunt. Si quid mali eueniat ex hoc amore inordinato, scire uelis: partem tradit Ecclesiasticus De patre impio conquerũtur filij, quoniam propter illum sunt in obprobrio. Conquerũtur q͂ non sint ab eo melius edocti, tutius instructi, q͂ non pubescentes a uicio prohibiti sint et ad uirtutes attracti, unde uita probrosa uenit et mors probrosior. Qui male nutrit filios, exemplo ue corrumpit: reus est perditionis eorum. Qui uirgæ parcit, qui non castigat consulit atq; erudit, odit filios. Conqueruntur itaq; cum sint in obprobrio. Conquerunt̃ in hac uita: sicut in Sanguineo patuit, de quo meminit Bœotius: q͂ cum traheretur ad patibulum, uocati flebiliter ad se patris nasum erroserit, inquiens Tua negligentia, tuo silentio perij pater improbe. Deformis esto qui me ad hoc turpe genus mortis adegisti. O plebs bona deoq; deuota, exempla quæ præcesserunt sint ipsa uobis documento. Scire debetis quid Heliæ non corrigenti filios euenerit. Ipsis in impio bello male mortuis, ille quoq; per dolorem cadens e solio turpiter interijt. Conquerũtur in inferno complures condemnati: conqueruntur de parentibus filij, de filijs parentes, ubi neutris spes ulla refulget. Si possent ab inferno qui sunt illic ad nos uenire, monerent utiq; nos ad præcauẽdũ. Sic suos fratres damnatus diues admoneri uoluit Rogo te pater

[Margin notes: Roma. 8. — Amor parentum. — Necessaria correctio filiorum. — C. — Eccle. 41. — Expo. — Prouẽ. 13. — Boecius de disciplina scol. — 1. Regũ. 4. — Luce. 16.]

, pater Abraham (inquiens) ut mittas Lazarum in domum patris
, mei, ut testetur quinq; (quos habeo) fratribus, ne et ipsi ueniāt in
, hunc locum tormentorum. Cui respondit Abraham, Habent Mo-
, sen et prophetas, audiant illos. Ait ille. Non pater Abraham, sed
, si quis ex mortuis iuerit ad eos, pœnitentiā agent. Rursum Abra-
, ham, Si Mosen et prophetas nō audierint, neq; si quis ex mortuis
, resurrexerit, credent. Et nos euangelium, Mosen et prophetas habemus, quibus habenda fides: at ita uiuimus tanq̃ mortuorū monita expectaremus. Multi sic filios ac filias colūt atq; ornant, acsi facerent ex eis idola quædam. De qua re etiam propheta queritur
, ibi Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Psal. 143.

Hinc omnis idololatria cœpit, ex hoc amore fons et origo mali cultus et detestandæ uenerationis. Ninus enim rex assyriorū qui ciuitatem illam nobilem Niniuen extruxit, Belo patri quem plusq̃ paterne dilexit, mortuo statuam erexit: edicens ut quicunq; confugeret ad eam, qualiscunq; reus offensæ, tutus ab omni pœna maneret. Qui uero liberati sunt, liberatorem suū adorare uenerariq; cœperūt, et pro deo coluerūt. Ab hac urbe, fœditas ista manauit in alias. Sirophanes item in ægypto uir ditissimus eodem modo mortē filij deflesse legitur, ut defuncto statueret imaginē sibi suisq; colendam. Parentes alij filios et filij parentes, in idola uerterunt. Sic uariæ species idololatriæ quæ per uarias mundi nationes per omnia tempora sparsæ sunt, extiteruut. Hæ sunt ingratitudines quibus a uero parente deo deficiunt multi filij degeneres, spurrij: spirituales illæ fornicationes per quas a uero marito suo CHRISTO mens humana recedit: de quibus passim prophetæ querūtur. Quoties enim cunq; a creatore quis ad creaturam auertitur, diuinum honorem alij q̃ deo tribuens: fornicatio spiritualis est et idololatria. Sed nec specie caret idololatriæ quod frequens etiam plærisq; christianis est, ut immoderatum amorem gerant in suos: ut filij causa parentum filiorūq; parentes, iura tam diuina q̃ humana diffringant. Illabitur in pectora quorundam inspiratio diuina qua tam multa mundi pericula uidentes, excitantur ad eundem

Antoninus .I. parte histoire.

Holcot super sapiētiā. lectione .C. L iij.

Nimius amor parentū ac filiorū peperit idololatriam.

 deferen-

deferendum, intraturi religionem: quam parentes extrudere conantur, et ipsi ne contristent eos a proposito desistunt: non attendentes quid CHRISTVS asserat
Matth.10. Qui amat patrem suum aut matrẽ plusq̃ me, nõ est me dignus.
Expo. Multi parentes amore Christi bona pauperibus impartiri uellent: nisi ꝙ nimiæ prosperitati filiorum attendant. Sed nec ipsi quid CHRISTVS dicat animaduertunt
Ibidem. Qui amat filium aut filiam plusq̃ me non est me dignus. Ama fili parentes, parens amato liberos: sed secundum deum. Amor eius, præponatur omnibus. Si contingat aut necessitas urgeat ut te sibi cum parentum tum dei poscat amor, neq; possis utriq; respondere: cõtemne parentes ut CHRISTO seruias. Sic odiũ in suos fit pietas erga deũ.
Hierony. Si pater in limine iaceat ut a Christo te retineat: per calcatum patrem (inquit Hieronymus) transito ad CHRISTVM. Si quæ suxisti ubera mater, si nutrix ostendat: neutram respice, dum pergis ad CHRISTVM. Si filij, nepotes, et consanguinei te interpellent: cunctos pro CHRISTO neglige. Nec parentes, liberos aut cognatos amari uetuit: sed signanter addidit
Ibidem. Plusq̃ me. Non supra CHRISTVM, sed nec ut CHRISTVS amandum quicq̃. Ex alto corde nil diligendum nisi deus, aut causa dei. Si pater aut mater aliquid contrarium dei præceptis imperet, si quid te roget cõtra dei uoluntatem: memẽto quod diximus, ꝙ odiũ istiusmodi parentum, sit pietas in deum. Quod animæ salutem impedit, in omnibus habendum odio. Si gubernetur hic amor a spiritusancto, probabilis et uera charitas est: qua sic filij, parentes et cognati diliguntur, ut omnes in charitate dei maneãt et ueri filij dei sint: ut finem totius amoris in deũ et salutẽ animæ referant.
Roma.8. Qui spiritu dei sic aguntur: hij sunt filij dei sicut ait Apostolus, et amorem ubiq; suũ in suos recte dispensant.
Amor coniugalis. Coniugalis amor nascit̃ e Vinculo matrimoniali, et est quem coniunx habet erga coniugem: sed neq; hic te illiciat ad inique diligendnm. D.
Ephesi.5. Paulus admonet Viri diligite uxores uestras, sicut et
Expo. CHRISTVS dilexit ecclesiam. Propter hoc (insit Christus)
Matth.19. relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori. Qui sic relinquendos

qendos parentes pronunciat, coniugalem amorem præfert parentali: sed eundem deliniari uult Apostolus ad regulam, qua Christus dilexit ecclesiam. Dilexit autem ecclesiam CHRISTVS: honesta, incorrupta, casta, sanctaq; dilectione. Dilexit ecclesiam, quam sanguine suo lauit et sanctificauit. Debet itaq; uir sic diligere uxorem, ut prædictas in ea uirtutes exquirat et inuentas adamet: aut eisdem imbuendam curet. Vxor quoq; modesta uirum diliget, humillime se subdens illi in omnibus rebus bonis, licitis, atq; honestis: quæ sua bonitate uirum bonum exhilarabit, etiam nō bonum ad bonitatem et uitæ sanctimoniam inducet. Sanctificatus nanq; est uir infidelis per mulierem fidelem, inquit Apostolus. Si requiras exempla: patet id in Assuero rege, quem Hester optime direxit, Patet in Valeriano et Tiburtio, quos sanctissima Cecilia duxit ad sanctitatis amorem, patet in multis alijs. Si spiritus hunc regat amorem: nihil impium, carnale nihil attentabitur. Spiritu ambulate monet Apostolus, et desyderia carnis nolite perficere, Spiritu inquit ambulate, et opera carnis nō pficietis. Dulcis amor item patriæ, sed non talis ac tātus huius patriæ debet esse: ut ab amore cœlestis patriæ reuocet. Magnus autē est præsentis patriæ, sed et parentali coniugaliq; plærunq; maior. Nam si parentib⁹ debeamus ꝙ simus: debemus et nos cū illis idē patriæ Qualiter autem amor patriæ per naturam ipsam est præstantior, sic et in plærisq; uiris charior effulsit. Quemadmodum enim hic amor patriæ resplēduit in Iunio Bruto, narrat Augustinus. Narrat quomodo proprios filios uirgis cæsos occidi iusserit, ob conatum prodendæ patriæ, dum studerent causæ Tarquinij superbi Romanorū regis, nuper exacti. Narrat idem quemadmodum Manlius Torquatus filio suo legū transgressori, non pepercerit. Per sanctā enim certamq; legum obseruationem atq; obedientiam, salus ipsa patriæ consistit. Hic Torquatus cum consul esset et dux romani exercitus, legem tulit non mouenda in inijmicos arma iniussu suo. Cum cōtra filius attentasset: q̄q̄ egregia singulariq; uictoria potitū, capite plecti iussit: ꝙ contra suū (quod idem reip, præceptum erat) ausus

1. Cori. 7.

Hester. 2.

Galath. 5.

Amor patrie.

li. 1. de ciuitate. ca. 16. et li. 5. ca. 18.

li. 5. de ciuitate ca. 18.

esset. Vnde natum adagium quoties durum et acre significamus imperium, ut idem Manlianum appellemus. At ea non tolerata solum, sed et multū laudata est acrimonia: quæ aduersus suū sanguinem causa reipublicæ suscepta est. Vt ad nostra ueniamus, primo Machabeorum libro legimus qualiter Eleazarus amore patriç, utq; populum suum liberaret ab hostibus et acquireret sibi nomen æternum: cucurrerit audacter in medium legionis interficiēs a dextris et sinistris cadentibus ab eo huc et illuc, et iuerit sub pedes elephantis seq; supposuerit ei, in quo putauit esse regem. Viderat enim loricatam bæluam loricis regis et eminentem supra cæteras, habentem arcem in dorso sitam de lignis factam, in qua stabant multi stipatores, inter quos uisum est ei latitare regem. Bæluam occidit ipse, sed ea cadente super se simul occisus est. Quis laudabilis hic amor est: si nō a spiritusancto dirigat, ex eo multa nascuntur incommoda, multa uicia sceleraq; pariuntur: dū quis sub patriæ prætextu suo seruit arbitrio, suam dominationē et uoluptates suas aucupatur. Inde fœderum ac fidei uiolatio, proditiones, insidiæ, doli, sanctarum dei legum transgressio, sanctionum ecclesiæ contemptio, rerum omnium neglectus: ut sola gloriatio, sui nominis extollentia, conditionisq; priuatæ nobilitas, honor et præstantia teneri defendiq; possint. Inde generantur ambitus, factiones, iniusti fauores, iniustiores inimicitiæ, persecutiones iniustissimæ, seditiones, odia, non licita bella: generant hinc adulationes, inde detractiones et omnia mala. Sic sub nomine salutis et tutaminis patriæ, consurgit interitus. Patria non seruatur sed perit, ubi iusticia subuertitur. Patria non floret, in qua uirtus emarcescit. Patria non defenditur, ubi diuinus honor et gloria non seruantur. Patria non manet incolumis, in qua salus animæ non curatur. Vis exemplo discere, quomodo qui suæ libidini prætexūt amorē patriæ nulla dei seu diuinorū habita ratione: patriam euertāt et pessundent? Iudæi crucifixores CHRISTI studiosiores et auidiores suæ preclaræ, lautæ, splendidæq; conditionis q̄ diuinæ legis: prætextu tamen legis ipsius, CHRISTVM deū et hominem prodiderunt: dicentes

1. Mach. 6.

Quæ nascuntur incōmoda ex nimio amore patriæ.

dicentes: Necesse est ut unus moriatur pro populo, ne forte ueniant Romani et tollant locum nostrum et gentem. Sed quid inde sequebatur? Qui patriam sibi contra deū seruare cupiebant, totam imperpetuum amiserunt, dispersi, uagabundiq; per orbem: qui temporalem in terra suæ uoluptati cupiebant, æternam in cœlo perdiderunt. Subdendus igitur amor iste regimini sancti spiritus, a quo si dirigatur fit uera charitas et omni crimine uacat. Nam acute prospicit ut in omnibus quæ domi geruntur et foris: quæ in urbe, quæ in oppido, in curia, in foro, in agro, dei leges integræ custodiantur et humanæ diuinis consonæ non soluantur: ut affectus omnes iniqui tollant e medio, malæ consuetudines extirpentur: ut ad honores et præmia boni proueħātur maliq; subigantur et pœnis afficiantur. Si sic ametur patria, si cum uoluntate spiritus consentiat: sua salus et libertas tutissima stabit. Qui fidem et charitatem plene obseruat in CHRISTVM: qualemcunq; debitum subassumit amorem, non peribit neq; reprehendet. Socialis amor est, quo sociorum et collegarum animi copulantur: qui si non sub iugo spiritus sancti contineatur, in uaria peccata, inq; scelera magna prorūpit. Ius societatis ad multa mala uocat, quæ nisi spiritus inhiberet multi facessererent. Sæpissime quis ne displiceat amico, deo displicere nō dubitat. Causa societatis attentat, quod alioqui non auderet. Vt sodali gratificetur, animam offendit, et salutem eius haud ita pōderat. Sic Adamus uxori suadenti esum mali uetiti, ne grauaret eam acquieuit: de cuius fraude conquestus deo dixit Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi et comedi. Sic Herodes Herodiadis filiolæ postulāti (sicuti iussa fuit a matre) caput Ioannis baptistæ, concessit: ne contristaret illam, et coepulones suos in mensa discūbentes offenderet, q iureiurando firmasset quicquid illa saltatricula petijsset, se facturum. Ita Solomon ne concubinas suas molestaret, idola cum eis adorauit. Sed non est hac ingratitudine deus exasperandus. Ille summus amicus cū quo non conferendus alter, nec ullius causa eius amicitia prætereunda. Si quis quo te donauit, ut fieret amicus: ille te donauit omnibus.

Non est

Ioan. 11.
E. Amor socialis.
Adam.
Gene. 3.
Marci. 6.
Herodes.
Solomon.

Non est aduersum eius præcepta factitandum, ut terrenis amicis
obsecundando placeas. Non est uoluntas eius infringenda, ut tui
sodalitij uoluptati pareas. O uere pœnitens, pœnitens, non a deo
te retrahat ulla societas, non a bono pioque proposito deterreat ulla
uoluptas, non a spiritusancto temporalis amor auocet, nõ carna=
lis affectus abducat. Cum hostiũ cordis tui pulset spiritus, aperi:
cum uocet, actutũ et continuo responde: cum afflet, obsequere:
1. Thes. 5. cum spirando trahat, imitare. Spiritum extinguere noli, prophe=
tias noli spernere. Ne restinguas iugem operatricem in te dei bo=
Iohis. 3. nitatem. Spiritus ubi uult, spirat. Cum spiret in te, nolis impedire.
Si ueniant ad te qui impedire uelint, expelle. Si ueniant non uera=
ces amici, proximi: si consanguinij aduentent, appropinquent af=
fines: si blandiantur loquendo uanitates, si delicias et carnalia sug=
gerendo dolos meditentur tota die: sin contra per offensionẽ pro=
cul abeant, si minentur, si uim faciant, irrideant ut quærant animã
tuam diabolo: eos audire noli; noli respondere, nolito sequi, noli
consentire, sed nec repugnare uelis, aut redarguere, noli cum eis ar=
gutari; quia sic faciens, finem inter eos garriendi nullum inuenies.
Tu tace, modeste fer omnia, patiens et humilis in instituto perge.
spiritu contentus in te quiescente, intus operante: spiritum pro te
loqui, pro te respondere sinito, tacitum in te spiritum tu fac imite= F.
Versus. 14 ris. Tu cum propheta ueraciter inque. EGO TANQ; SVR=
et. 15. DVS NON AVDIEBAM, ET SICVT MVTVS non
aperiens os suum. Factus sum sicut homo non audiens, et nõ ha=
bens in ore suo redargutiones. Cuicunque suasori malo tu dic intus,
in pectore, quod Petro CHRISTVS expressit. CHRISTO
passionem suam modũque passionis prædicẽti discipulis, ait Petrus
Math. 16. Absit a te domine, non erit tibi hoc. CHRISTVS autem illi
Vade post me Sathana, scandalo es mihi; nõ sapis ea quæ dei sed
quæ sunt hominum. In CHRISTO spiritus operabatur quod
citra spiritum Petrus ignorabat, cuius cor tamen postea tetigit et
Psal. 147. fluxerunt aquæ. Flabit enim spiritus, et fluent aquæ. Fluxerunt ab
oculis Petri postq̃ male suaserat dño, et posteaq̃ negarat eundem.

Fluxe=

Fluxerunt ab oculis Mariæ Magdalenes quibus lauit pedes domini, quando spiritus a carne segregarat eandem. Fluxerunt aquæ: quando cor Dauidis, pij latronis, et Pauli conuersi tetigit. Duxit iste spiritus Ioannem Baptistam in desertum, ubi iugem a teneris annis pœnitentiā egit. Cuius manu baptizatus IESVS, ab isto spiritu ductus est etiam in desertū ubi tentaretur a diabolo: ut nos baptizandos fortitudinem et artem resistendi tentationibus edoceret. Duxit idem spiritus Mariam Egyptiacam in solitudinem, ut ibi crudis herbis et radicibus uictitans, continuam septendecim annos pœnitentiam adimpleret. Modo memoratā Mariam Magdalenem idem spiritus attraxit in desertū, et effecit ut ibidem post conuersionem suam in rupibus, speluncis et cauernis triginta annos mirandam ageret pœnitentiam. Eodem agitante spiritu adeo Hieronymus incaluit, ut celebritatem urbiū fugiens, multos annos in desertis ageret: ubi uinum non gustans induebatur sacco, super nudaq; terra dormiens, cathena se ferrea circuncingens, et duro lapide pectus ad effusionem usq; sanguinis extundens, carnē suam edomabat. Adeo spiritus iste beati Francisci CHRISTO cor affixerat: ut in latere, in manib9 ac pedibus, CHRISTI IESV stigmata gestaret. Iste spiritus eximios Apostolos, Martyres magnanimos, confessores egregios et electas uirgines traxit in desertū pœnitentiæ: retrahens a mūdanis amicis, a cōsanguineis, a proximis, ab amicis omnibus: qui diuinas uirtutes impedire uellent, humanis cordibus inserendas. Amicorum genus sanctissimū est (ait Bœotius) quod non in fortuna sed in uirtute uenatur. Ab illis amicis qui uirtutibus obstant cuiuscunq; gradus extiterint, nos separaturus CHRISTVS aduenit: ut illic asserit Non ueni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni separare hominem aduersus patrem, filiam aduersus matrem, nurum aduersus socrum eius: et erunt inijmici hominis domestici illius. Varie quidem iste spiritus operatur inter homines, iuxta cordium quæ tangit uarietatem.

Operatio sancti spiritus.

Bœtius. 3. de cōsola.

Matth. 10.

Quemadmodum etenim cytharedus, lyricen aut alioquin organa pulsans, uario digitorum motu uarioq; tactu, uarios modulos, cō-

centus uarios, harmonias et tenores diuersos efficit: ita dei spiritus opus suũ circa humana corda ꝑficiens, et tangens ea diuersis

Varius tact⁹ spiritussancti.

modis pro tactu ipsius uarietate, euariat. In uno contritionem ueram, in altero pietatem humillimã elicit: in isto lamentationẽ pro peccatis et æquam pœnitentiam, in illo castitatẽ et omnimodam uitæ puritatem atq; innocentiam: in multis patientiam inuictam, in omnibus bonis bonitatis speciem aliquã. Nihil omnino nihil adeo durum aut tam asperum, ad quod non amore dei spiritus iste pertrahat: nihil tam molle tam delectabile, a quo non suum discipulum alienet: ut CHRISTO uere seruiat. Amore CHRISTI pati facit esuriem, sitim, frigus, æstum, uigilias: orationum, lectionum ac contemplationum austeritatem, et asperrimam omnino uitam: pati facit gladium, incendium, et genus qualecunq; mortis. Nihil uani nihil iniqui affectus in eo pectore relinquit, quod plene possidet. Omnem parentũ, filiorum, proximorum, affinium et cognatorum: omnem rerũ mundanarũ sinistram affectionem extrudit. Carnalia quæq; facile contemni facit ab eo: quem cogitatione, quẽ uerbo et opere deo firmiter adhæsurũ elegit. Nemo

1. Corin. 12.

potest dicere dominus IESVS, nisi in hoc spiritu: dicit Apostolus Nemo recte et catholice credere, nemo sperare, nemo charitatis opera sequi, nisi per hunc spiritum. Tu nihil boni cogitare, nunq̃ pœnitentiam agere uelle, nusq̃ orare, rite ieiunare, eleemosynas fundere: tu nil recte facere potes, nisi in hoc spiritu. Tu nunq̃ patienter aduersitates, infortunia, contumelias, iniurias, obprobria, sustinere: nunq̃ malas et peruersas futilium amicorũ ac proximorum dissuasiones atq; insultationes defendere poteris: nisi per istũ

1. Thes. 5.

spiritum. Nolis itaq; spiritum istũ extinguere. Extinguit ipse, qui

Expo.

nõ arripit inspirationes illapsas animo, qui bonas motiones abijcit, uel neglectim et tepide respectat: extinguit qui feruorem in se spiritus non mature sequitur, et alios ut sequantur adhortatur. Spiritum extinguit, qui non acquiescit sanctispiritus admonitionibus: quæ a scripturis, a sacrosanctis doctoribus, a pijs concionatorib⁹ et beneuolis cõsultoribus amice porrigũtur. Si tentatones

impetãt

impetant, si terrores et tribulationes insurgãt: tu spera in domino, ut ipse te defendat, ut ipse te adiuuet et corroboret. In omnibus operibus tuis, in quibus necessitatibus, sit tibi spes in domino, firma fixaq; fiducia in sanctispiritus adiutorio. Spera in domino, et iacta super dominũ curam tuam et ipse te enutriet, ipse proteget et seruabit. Non perdet ipse quem fecit, non perire sinet quem redemit. Spes reficit, spes delectari facit opere bono. Quamobrem (oro) tot et tantos labores indefessi ferunt homines, nisi q aliquid indipisci sperent? Laborantes omnes et insudãtes, fœlicẽ aliquem sibi finem præstituunt. Peculium milites, gloriam et famam expectant: mercatores diuitiarum abundantiam, artifices et agricolæ sufficientem ex opere uitam: uictum omnes et uestitum, religiosi cœleste præmium, fideles in ecclesia pie collaborantes pro merito uitam æternam. Spes in deo tibi sit qualecunq; periculũ instet, spes in deo sit quecunq; turba molestet, quantacũq; tentatio perturbet. Ipse nanq; salus omniũ in se sperantium. Huius exempla rei passim habentur. Exemplo tres pueri, quos in ardente clibano spes ista protexit. Abrahamus exemplo, quẽ inter tot tam uariorum itinerũ discrimina, in temporibus summæ charitatis, temporibus multiplicis tentationis, spes in deo tutissima rexit. Exemplo casta Susanna, quam a maligno iudicio spes huiuscemodi liberauit. Exemplo Sara, cuius sterilitatẽ certa spes emendauit. Exemplo Rachel, et Anna quæ per spem unice diligendos filios impetrabant. Spe Mariam Anna, spe Maria ipsa CHRISTVM peperit. Quid e tãta spe sua nacta est mulier illa cananæa, quæ de Tyri finibus ad CHRISTVM est egressa? Nonne cũ spe firma clamans Miserere mei fili Dauid, filiæ sanitatem obtinuit? Quid ingens Hemorrhoysse fiducia meruit, qua dixit Si tantum tetigero fimbriam uestimenti illius salua ero? Certe sana facta est et salua ex illa hora. Quantam cęcus a turbis increpatus fidem, quantam spem habuit, dum noluit ulla increpatione a clamando prohiberi? Clamabat autem Miserere mei fili Dauid. Sed et uisum eadem spe fideq; recepit. Quid in electo latrone spes firma perfecit, qua dixit Memẽto

mei dũ

Psal. 54. Multiformis uirtus spei. Psal. 17. et 2. Regũ. 22. Daniel. 3. Gene. 20. Daniel. 13. Gene. 21. Gene. 30. 1. Regũ. 1. Luce. 18. Matth. 9. Luce. 18. Luce. 23.

Ibidem. mei dum ueneris in regnum tuum? Nonne speranti rogatus aie- ,
bat Hodie mecum eris in paradiso? Quanta fuit in Iob fiducia, di- ,
Iob.13. cente Si occiderit me in ipso sperabo? Sed idem electus a domino ,
Tobiæ.11. factus est nobis exemplar patientiæ. Per spem Tobiæ redditum
1.Regū.19. est lumen oculorū. Spe liberatus Dauid e manu Saulis, spe Noe
Gene.8. cum suis seruatus in diluuio. Centurionis spes humilis puero pa-
Matth.8. ralytico salutem impetrauit, dū diceret Non sum dignus ut intres
sub tectum meū, tantum dic uerbo et sanabitur puer meus. Spes
Daniel.6. Danielis liberauit eum a lacu Leonum. Hac spe sancti Martyres
sunt ab omni periculo liberati, hac spe sancti oēs peruenerunt ad
Psal.21. gloriam. In te sperauerunt et liberasti eos, ad te clamauerunt et ,
non sunt confusi. In deo sperandum igitur in omni aduersitate, ,
in oī casu, in omni tentatione tua: ab eo quod est petendū expe-
Psal.36. tas, et ipse dabit tibi petitiones tuas. Quod affirmās hic prophe- H.
16.Versus ta subdit QVONIAM IN TE DOMINE SPERAVI, ,
tu exaudies me dn̄e deus meus. Sperās de tuo dn̄e patrocinio, pa- ,
tienter oia tuli. Persecutionibus, conuicijs et iniurijs non respondi,
cōfugiens ad te solum dn̄e: quia tu sperantē in te non destitues, tu
confugientem ad præsidium tuum adiutabis, et pie clamantes ad
Psal.30. te semper exaudies. In te domine speraui, non sum fisus mūdanæ
sapientiæ, non sum fisus diuitijs sæcularibus, non corporis mei ui-
ribus aut decori, non nobilitati generis, non potentiæ principum
et fauori, non subsidijs amicorum, non brachio sæculari: sed, sed
tibi soli domine deus. Iustus itaq; et uerus pœnitens si persecutio-
nibus, si flagellis et afflictionibus atteratur: si probris, si conuicijs
et iniurijs usq; lacessatur, si derideatur, quicquid est mali si acces-
Matth.26. serit ei: CHRISTI formam exprimit, inquientis Domine fiat ,
uoluntas tua, CHRISTVM imitatur, omnia deo committens:
Deute.32. dat locum iræ, iudicium deo relinquens, qui promittit Mihi uindi- ,
ctam et ego retribuam. Qui sic deo confisus fuerit, qui sic fretus
eius auxilio, stabit omnino: impossibile est cadat quem ipse sus-
tentat. Regnabit, deficere non potest quē ipse conseruat. Claman-
tem ad se semper exaudiet. Adiutor est enim in tribulationibus.

Dn̄s exau-

Dominus exaudiet omnes in se sperantes, exaudiet rationabilia
petentes et ad salutẽ animæ pertinentia. Talia reposcens prophe-
I. ta se exauditum iri non ambigit, inquiens Tu exaudies me domi-
, ne deus meus QVIA DIXI NEQVANDO SVPER 17. Versus
, GAVDEANT mihi inimici mei Et dum cõmouentur pedes
, mei super me magna locuti sunt. Sub hac psalmi parte commen- Quales aduersarij veri penitentis.
datur integra spes, oratio pia, patientiæ meritum, uerum satisfaci-
endi propositum, syncerus contritionis affectus, sufficiens studiũ
et confessionis examen. At quisquis uere pœnitentiũ afficitur ad
hæc omnia, promptos habet interruptores: detractores ingratos,
persecutores impios et crudeles, multiplices irrisores, promptos et
assiduos ad lædendum, robustos, sæpe minaciter insultantes: pa-
ratos ubiq; ut auocent, ut abstrahant a proposito tam diuino, ut
funditus ædificiũ hoc spirituale diruant, quod tu totis ante uiribus
ædificare uolebas. Quid autem in causa est ut inuideant et obsis-
, tant hoc pacto mihi, nisi quod in hoc eodem psalmo sequit̃ Quo- Psal. 37.
, niam sequebar bonitatem. Iusticiam iniusti non patiuntur, mali
bonitatem haud ferentes sanctos simplices atq; pios ubiq; perse-
quũtur. Sic Caynum Abel, Ysaacũ Hismael, Esaus Iacobũ, Daui-
dem Saul: sic CHRISTVM ipsum iudaicus populus inuidiose
persecuti sunt, uti plus semel ante diximus. Sed in hijs atq; omni-
bus huiuscemodi, tu uere fidelis, tu perfecte pœnitens, sit tua fides,
, sit spes tua in eo qui est deus totius cõsolationis qui cõsolatur nos 2. Corin. 1.
, in omni tribulatione nostra: qui tristiciam omnem mutat in læti- Expo.
ciam, aduersa cõmutat in prospera: ipse te exaudiet in quibuscũq;
necessitatibus tuis. Sit tibi spes in eo, non qui deus est unius con-
solationis: non duarum, non trium: non uiginti trium, non tre-
centarum modo: sed in deo totius consolationis, in deo solaciorũ
omnium, qui cũ possit etiam uelit in cunctis necessitatibus, in sin-
, gulis rebus arduis, in omnibus causis tuis te iuuare. Tu es domi- 2. Mach. 1.
, ne qui liberas ab omni malo, per te saluatorem omnium sanitas.
Quis in infirmitatis aut ægrotationis tempore præter unũ deum
iuuare poterit? quis excepto deo solo sanare ualet? quis procello-

 sos maris

ſos maris impetus ac turbines ſedare poteſt? An præter deum a-
lius? quis in bello protegit aut conſeruat niſi deus? Ipſe poteſt,
ipſe ualet, ipſe uult ſi tu tuam in eo fiduciam ſitã et collocatam ha-
beas; ſi uoces, ſi clames, ſi preceris eum. Ipſe eſt qui triſticiam in
gaudia mutat, ipſe eſt qui res aduerſas uertit in proſperas, ſeruitu-
tem in libertatem, ægritudinem in ſalutem, miſeriam in beatitu-
dinẽ atq; gloriam. Tu es itaq; domine, qui liberas ab omni malo.

Deus ſolus ab oĩ malo liberat.

Per te omniũ ſaluatorem ſanitas. Prudens hoc propheta perpen-
dens ad hũc ſeruatorem, ad hunc defenſorem, ad hunc cõmunem
omnium adiutorem confugit: ut ab oſoribus et inijmicis ſuis ipſe
protegat, inquiens Dixi nequando ſupergaudeant mihi inijmici

Littera.

mei. Orat ut inijmici ſui ſiquando inſurgant aduerſum ſe, nõ ſibi
ſupergaudeant aut præualeant. Inijmicos intelligit diabolum et
angelos eius: inijmicos ſæuos et aſperos peccatores, perſecutores
immites, detractores inuidos, moleſtos irriſores, illuſores impro-
bos, malicioſos perſuaſores, luxurioſos, potores, aleatores, et ui-
cijs ac uoluptatibus alioqui deditos: quorum omnium caput eſt
diabolus. Hij ſimul omnes inſurgere non ceſſant, ut fragilitatem
imbecilli pectoris expugnẽt: ut ſuggeſtionibus ſuis ad illicita pel-
liciant, ut blandicijs irritent aut minis terrifaciant, ut inſidioſis de-
niq; ſuaſionibus illaqueent. Inijmici uiri boni ac pœnitentis ſunt
omnes impij: ſeu feroces ſiue blandi fuerint. Cum quibus ſi quis
congredi, ſi manũ conſerere, ſi certamen inire uelit: ſentiet, ſentiet
profecto non leuem pugnam, ſentiet intolerabile certamen. Sola
prodeſt culpæ fuga, fuga peccantium. At tibi uidentur iocoſi, fa-
ciles uident̃ tibi et grati: ſed caue, caue tibi et reſpice finem. Qui
nunc blandi uidentur et ſuaues, ſub horum blandiloquentia, ope-
ra latent aſperrima. Contemplare mihi ſpinas, erue eas de terra.
Non pungũt radices harum, cum ipſæmet pungãt ſpinæ quæ naſ-
cuntur e radicibus. Sic inijtio quorundam pulchra faciliaq; uerba
ſunt, uenuſtus et clæmens habitus, facies omnino benigna: qui-
bus uirulenta ſunt pectora, unde facta pernicioſa manant. Contra
hos omneis quod propheta rogauit, ipſe rogato. Non hij mihi ſu-
pergau-

pergaudeant, non quod in me quærunt habeant, non in me sua uota tanq̃ tela defigant, nullis neq; blandicijs neq; minis me ad peccatum inducant. Prauis quibusdam et maliuolis satis non fit, nisi suggerendo alios maliciæ suæ consortes adiungant, nisi bonos et simplices suis laqueis irretiant. Sed cum sitis simplices ut colũbæ, prudentes etiam ut serpentes estote. Aduersum hos hoc unũ remedium est Fuge fornicationem inquit Apostolus, deuita Hereticum. Idem in uicijs omnibus, in peccatoribus tibi salutare futurum est. Horum tu sodalicia fugito, horum blandimenta uitato. Nam si socieris eis, ut difficillimum erit a uicijs eorum abstinere? Nisi simul eas, nisi simul comedas, compotes, colloquaris: nisi omnia quæ ipsi faciunt et tu facias (ut cætera taceam incõmoda) multa saltem incurres obprobria. Hui dicet unus, En præclarum põtificiæ sanctitatis simulatorem, en hypocritam egregiũ inquiet alter, tertius adiunget Abito in malam rem abito furcifer, quid rei nobis tecũ est? abito ne sis offendiculo nobis. Sic alius aliud inferendo sataget rerũ, ut bonũ uirũ piamq; fœmellã a sacro dimoueat instituto, per mutuã consuetudinẽ ad suæ uitæ modũ illiciat. Sed caue, caue tibi uir bone: prospice pia fœmina, finẽ istorũ qui male uiuentes male quoq; suadent, attendite. Iam forsan uiuunt in delicijs, diuitijs abundant, per quas suas ubiq; uoluptates explent: per quas in luxuriosis cõuiuijs, spectaculis et ludis quidlibet effundũt. Sed respice finẽ. Abyssus abyssum inuocat Abyssus inutiliũ expẽsarũ, inuocat abyssum rapinarũ. Capiunt, rapiũt, extorquent, peculant: neq; quis tamen cõtradicit aut repugnat adhuc tam magna potentibus. Sed respice finem. Ab ista copia deuenitur ad inopiam, paupertati succedit grauis infirmitas: neq; adhuc eos mala mens uitaq; corrupta deserit. Manet animus rapiendi, sed cæteri raptoribus obstant, de rapinis antea factis omnes una queritantur. Actio repetundarum instituitur, contra eos suum quisq; libellũ læsus affert. Oh q̃ miseri isti cruciantur? Raptores in ius rapiuntur, alligantur furti, accusantur homicidij: trahuntur, obuoluuntur, nusq̃ quiescunt, iam per paupertatem atq; ægritudinem

Matth. 10.
2. Cori. 6.
Malus erit male suadentium.
Psal. 41.

quietis egentissimi: oh q̃ malis modis illi maligni sed dignis excipiuntur? Vides (opinor) illorum fœlicium (quos putabas) non usquequaq; faustissimũ exitũ, uides e placidis adulatoribus sæuissimos sed et uilissimos hostes tibi factos: uides e prauis mali persuasoribus, ad omne uicium suum alios inuitare traherecq; uolentibus manifesta fraude maliciaq; condemnatos: uides ebrium, helluonem, et intemperantem, quem sobrium et modestum arbitrabaris. Latronem uides quem ante iustũ existimabas, carcere clausum et uinculis oppressum quem antea diuitem et potentem esse credebas, uides infirmitatibus plenũ et ulceribus coopertũ quem bene curata cute nitidum habitudineq; præclarũ aspiciebas: cuius societatem optabant omnes, uides ab omnibus oĩo derelictum. Ecce spinas quæ de teneris illis radicibus excreuerunt. Peccatorũ initia mollia sunt, fines acerbissimi. Qualiacunq; in fronte promittunt, fines ut spinæ pungunt, mordent, uulnerant, te inficiunt, ducunt et ducuntur in omnem miseriam atq; exterminium. Vos itaq; christiani membraq; corporis cui caput est CHRISTVS, hos perniciosos peccatores et malesuados homines, hos suauiloquos assentatores et ad uicium aclibidinem mouere pellicereq; cõsuetos omnino fugite: fugite sicut a facie colubri. Aut si certum sit, eos manere, uitam ipsorum declinate, castigate, reprehendite. Sed fugere multo tutius est (uti prædiximus) ne prius ab hijs inficiamini q̃ eos ab infecta pollutaq; uita reuocare queatis. Principijs obstate, Raro medicina paratur, cum mala per longas cõualuere moras. Incendatur ipsa radix, et non erit unde spina procedat. Cunctas occasiões malas euitate, societatẽ omnẽ impiã diabolicæ similem abijcite. Quod si facere peperceritis: ineuitabile malũ est, non euitabilis offensa dei. Nemo tanget picem qui non inquinabitur ab ea: neq; cum malis uersabitur ullus non corrumpendus ab illis. Cum sancto sanctus eris et cum peruerso peruerteris, inquit propheta. Vt a malo caueatis (quod est q̃ rarissimum) at cum quibus cõuersamini, pro talibus habebimini. Neq; malũ modo, sed etiam suspicio mali fugiẽda. Ab omni specie mala abstinete uos, monet Apl̃us.

Fugiẽda occasio mali.

Eccle. 21.

Ouidi.

Eccle. 13.

Psal. 17.

1. Thessa. 5.

Apostolus. Quisquis autem uiuit, imbecillior est ex se: q̃ ut fortitudine scientia ue sua tentationibus et suasionibus malis ubiq; resistat. Ad deũ ergo est confugiendum qui potens est in omnibus, qui (quod potest) uult impotẽtes adiuuare: quoniam pater est misericordiarum et deus totius consolationis. Ipse defendet, ipse uos enutriet, neq; tentari sinet ultra id quod uos potestis: tentatos ipse proteget et seruabit. Ad eum ergo confugite, uestris diffisi uiribus. Sed qualiter? Certe per humilem, per piam et iugem orationem. Oratio nanq; uincit diabolum, et tentationes superat: hominem roborat et inuictum facit in milicia spirituali, oratio conficit omnia, cuncta impetrat: oratio cœlos aperit et claudit, a deo quæ sũt ad salutem obtinet et iram ac uindictam auertit. Amalechitas Moses oratione uincebat, Quandiu manus orando leuauit, priores partes habuit et suis uictoria cessit: quando fatigatus manus ab orando demisit, posteriores in pugna tulit. Oratio Mosen quadraginta dies totidemq; noctes ieiunãtem in monte continuit. Diuinam iram alioquin insuperabilem oratio uincit. Iratus enim dñs lapsum in absentia Mosi populum ad grauem idololatriam, delere uoluit, et ait illi Mitte me, ut irascatur furor meus super eos, ut deleam eos. Contra Moses orabat O domine noli hoc facere, Quiescat ira tua domine et esto placabilis sup nequitia populi tui, placatusq; est dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum. Sæpe Philisteos Israelitæ debellabant per orationem Samuelis. Oratio Iosue solem et lunam cessare fecit in medio cœli ad diem. Clausit Helias orando cœlum ne plueret super terram tres annos et sex menses. Rursum orauit, et pluuia descendit abũdans. Vim diaboli qua diuexat arrepticios, et omnes eius tentationes oratione uinci CHRISTVS illic affirmat Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione et ieiunio. CHRISTVS itaq; qui plenissime nouit hanc uirtutem orationis, in omni tempore tentationis nos hortatur ad orandum, ut non inducamur in ipsam Orate (inquiens) ut nõ intretis in tentationem. Eandem hanc uirtutem propheta perpendens, et suæ gnarus infirmitatis

[Margin notes: 2. Corin. 1. — L. Orationis uirtus. — Exodi. 17. — Exodi. 14. — Exodi. 32. — Ibidem. — Ibidem. — 1. Regũ. 7. — Iosue. 10. — Marci. 9. — Math. 26.]

atq; impotentiæ, qua citra singulare dei præsidium suis resistere nõ
Littera. ualebat aduersarijs, orabat Dixi nequando supergaudeant mihi,
inijmici mei. Dixi (inquit) hoc est oraui, ut nũq̃ illud agã per quod,
inijmici mei mihi sic insultent, ut insultando deuincant: et obtenta
ta de me uictoria gaudeant. Viri boni est, aliorum commodo ac
fœlicitate gaudere: incõmodis uero atq; infortunijs dolere, ut suis.
Charitas enim quam examussim sequitur, illud efficit: de qua scri-
1. Cori. 13. bit Apostolus Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet,
Roma. 12. autem ueritati. Ob illud ipsum monet alibi Gaudete cũ gauden-,
Expo. tibus, et flete cum flentibus. Gaudere iubet cum hijs qui rectam,
gaudendi sequuntur occasionem, et flere cum flendi similem habẽ-
tibus. Ne nimis alienum putaremus et durum, dolorem aliorum
2. Cori. 11. nostrum quoq; facere: in eadem re sui proponit exemplum Quis,
(inquiens) infirmatur et ego non infirmor, quis scandalisat et ego,
Charitas apostoli. nõ uror? Quis (ait) in fide, quis in charitatis opere aut sacro alio-
qui proposito læsus aut impeditus erit: quin eodem facto grauatus
tus ego? Quis scandalizatur, quis exemplo usq̃ malo peruertitur
aut in ullũ mali genus agit, quin ego simul urar? In omni etenim
iactura perturbationeq; proximi, se compassionis telo percussum
ostendit, se componens ad omnium imbecillitatem ut subleuaret
1. Corin. 9. eandem: sicut ibi demonstrat Factus sum infirmis infirmus, fac-,
tus omnibus omnia ut oẽs lucrifacerem. Hic affectus, hic ardor,
Luce. 12. illius ignis est, quem dominus uenit ut mitteret in terram, de quo
inquit Quid uolo nisi ut ardeat? Voluit ut ardor iste charitatis,
Malitia ni-mis velox in aliis condem-nandis. ubiq; uigeret inter homines. At ediuerso mali homines, iuidi atq;
inijmici, sicuti dæmones ipsi cæterorum fœlicitatem prosperumq;
successum æquo animo ferre non possunt: saltem si quos oderint.
Vbi dolendum est, ibi gaudent: ubi gaudendum, perdolent. Qui-
bus male contingit, adiocantur: bene prosperecq; degentibus inui-
dent, male facientibus et deũ per peccata derelinquẽtibus applau-
dunt, in honestate uitæ persistentes peccataq; seuere fugientes nõ M.
Littera. ferunt. Dum cõmouentur pedes mei, magna locuti sunt, ait pro-,
Psal. 13. pheta. Pedes nunc affectus nunc opera designant, ut illic Veloces,
pedes eorũ

, pedes eorum ad effundēdum sanguinem. Istiusmodi pedes in me , ubi labantur, si uel minimum deuient, a iusticia si deflectant, si decidant ab ipsa rectitudine, a ueritate, si a uirtute corruant in peccatum: ibi magna loquūtur aduersum me. Si uiriliter in uia Christi stetero, si firmiter inambularo: non habentes quid maledicant non loquuntur magna, nihil dicunt. Sin fluctuare coepero, si cespitauero, si impegero, denique si cecidero: statim obloquūtur, statim notant animo, designant oculis, exprobrant, afficiunt contumelia dicentes Viden illum? nostin uitam eius iniquam? scisti quid olim fecerit? quid saepe perpetrarit? modo quid designarit? Hic est qui multum et saepe peccat, hic est qui facinorose uiuit: hic qui cū rectissime doceat tale nihil agit, hic est in quo locum habet illud antiqui Catonis Turpe est doctori cū culpa redarguat ipsum. Ingrati quidam et nimioque duri sed neque ipsi ualde pij, dum proximos et notos nunc in hoc nūc in illud peccatum corruentes aspiciunt: insurgūt in eos uehementissime, toto coelo errare clamitant, Opprimantur inquiunt tanti peccatores, Veh scelerosis eiuscemodi. O quisquis es, o quid agis proximo? cur non cōpateris ei? Quare non meministi fragilitatis, quae tibi cum illo cōmunis est? Impius es in genus tuum, si tam aspere condemnes cū quo quottidie peccas. Illum adiuta, erranti consule, deuiantem reduc in uiam ueritatis, in uiam iustae poenitentiae. Consydera fragilitatem eius, fragilem atque fluxam naturam humani generis, et miseresce: nec facias quod Iudaei crudeles mulieri depraehensae semel in adulterio. Eam ipsi traxerunt ad CHRISTVM, ut iuxta legem Mosi, sententiam mortis acciperet. CHRISTVS autem uolens eos potius ad consyderationem propriae fragilitatis adducere, per quam nemo illorum peccato uacabat, ut in ea caeteris sui similibus misereri discerent: ait illis Qui sine peccato est uestrum, primus in eam mittat lapidem. Hoc audito unus post alterū exibant omnes, incipientes à senioribus. Quia nemo ipsorum tam impudens erat ut se a peccato defenderet, cui tam multū et tam plane tenebatur obnoxius. Exibant primi seniores, quoniam ab hijs egressa est iniquitas.

Cato.

Iohis.8.

Expo.

Daniel.13.

quitas. Quam illi recte cōdemnare nō poterant, CHRISTVS
Ioan.8. noluit: ut omnes misericordiam doceret Nemo (inquiens) mulier,
te condemnauit: neq; ego condemno. Disce mortalis homo, disce
misericordiam a CHRISTO, cum CHRISTO disce compati.
Vides adulterum, cernis adulteram, uides in alia peccata prolap-
sos, miserere: considerans adulterinam uitam tuam, ne condem-
nes alios: noli laqueo, noli securi, incendio, noli lapidibus adiudi-
Luce. 6. care, cum quo mereris simul obrui. Nolite condemnare, et non cō-
Roma.8. demnabimini. Quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Tu quis
es, qui iudicas alienū seruum? Deus enim illū assumpsit, Domino
suo stat aut cadit. Quomodo scis, qua causa deus illū cadere permi-
sit? Saepe cadere permittit, ut quis fortior inde resurgat: ut humi-
lior, ut cautior, ut ad misericordiam pronior. Sic enim Petri prae-
Math. 26. sumptuosa responsio permissa est, quando dixit Domine si opor-
tuerit me mori tecum, non te negabo. Dixit hoc sua fortitudine
fretus, suae oblitus infirmitatis. Ter autem postea negare permit-
titur: ut infirmitatem suam, ut imprudentiam et praesumptionem
stultam agnosceret: utq; futurus ecclesiae caput, disceret in infirmi-
tate sua, quomodo membris infirmioribus misereri debeat. Disces
hinc tu quoq; christiane uiribus non fidere tuis, non magnū, non
sublime de te sperare: sed semper humillime sentire, semper te sub-
mittere. Si tentationi Petrus qui caput post CHRISTVM
erat, tam cito cesserit: quomodo tu qui es multo imbecillior, multo
Multi nimis audaces in tẽtationem. infirmior nisi singulari dei praesidio resistes? Nonnulli parum pro-
uidi in magnas optant incidere tentationes, et iactuose magis q̄
fortiter, immo imprudēter aiūt O utinā Antichristi diebus me fore N.
contigerit, ut cum Enoch et Helia simul occumberem in causa dei:
o si CHRISTI tempore uel paulomox extitissem, ut cū tot mar-
tyrib9 martyrio coronarer. Paterer ego, paterer, morerer haud du-
bie pro CHRISTO. O stulte, stulte quid loqueris ignoras: men-
tis arrogantia carnis infirmitatem non considerat. Dicis te factu-
Iacobi. 4. rū hoc aut illud, haec et illa passurum, neq; (quod Iacobus admo-
net) adiungis Si deus uoluerit: et ideo cum tentatio incurrerit, cito
corruis.

corruis. Ad tempus credunt, et tempore tribulationis recedunt inquit CHRISTVS. Iamiã forti es animo, et magna pro Christo tibi statuis: qui uel blandicijs illectus, uel minis absterritus, ab instituto reuocaris. Multi qui uidentur sibi fortiores, pulchris pollicitationibus inescantur, ut a proposito suo resiliant; quibus si aurum aut argentum, aut possessiones offerantur, accipiunt condicionem, et CHRISTVM pro mundo deserunt. Alij si quis comminabitur ni sic faciant, nisi sibi pareant, ardua passuros, grauem obituros mortem: per hanc tentationem retroaspiciunt, per hanc deo renunciãt. Pauci, quos nõ hoc aut illud a deo diuinoq; conatu retrahat. Quot (precor) hodie uiuunt, qui ne quid summæ suæ pereat aut ut rem suã adamplent: quot ut gratiã ineant aut ne prius initam effundant, ne formidolosos magnates offendant: obsequũtur, adulantur, mentiuntur, periurium incurrunt, testimoniũ falsum perhibent et in omne genus iniquitatis incidũt? Plerīq; tanq̃ afflante spiritu currunt ad religionẽ: qui gustata semel amarulentia cui non assueuerant, multo attentius et celerius exire contendunt. Multos incipit pœnitere, qui pœnitentiam illam non perimplent. Quare id fit, nisi q; cum propheta dicere non possint Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos? Dominus illorum pedes supra petram statuit, quorum affectus in uera fide confirmat et in cœlesti diuinoq; proposito contemptis omnino temporarijs et carnalibus desyderijs corroborat. Ille pedes tuos statuit, potens est enim deus (ut ait Apostolus) statuere: et tu tuos statuis, si conatũ omnem et affectum isto modo dirigas et componas. At tu carnalis adhuc es, carnem sapis et mundum, mundanas sordes oles, oles corpus: nondũ statuisti supra petram pedes tuos, nondũ firmasti, non fixisti amorem et affectum in deo. Q̃diu carnalis es ac mundanus, percipere non potes ea quæ sunt spiritus dei; Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt dei. Non potes (uti debes) amare CHRISTVM: qui mundo es addictus et carni deditus. Alter horum amorum alterum, sicut clauus clauum trudit. Nemo potest duobus hijs dominis seruire Aut enim unũ odio ha-

Luce. 8.

Psal. 39.

Expo.

I. Corin. 2.

Matth. 6.

odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterū con-temnet. Non potestis deo seruire et Mammonæ. Tu autem abie-cto hoc terræ dominio pedes tuos statues, firmabis affectus in domino IESV CHRISTO: adeo quidem ut propter ipsum redimendaq; per ipsum peccata tua quamuis præsentem pœnam flagellaq; præsentia pati non detractes, sed cum propheta paratus sis ad dicendum QVONIAM EGO IN FLAGELLA PARATVS SVM, et dolor meus in conspectu meo semper.

18. Versus.

Propheta do-cet uerum pe-nitentiam.

O pœnitentem admirandum, o regem benedictum et hominem humillimum, o speculum et uerum exemplar ueræ perfectæq; uir-tutis. Tu rex magnus et formidabilis cuius uoluntati suberant et parebant omnia, cuius imperio nutuiq; populus uigilanter inser-uiebat, neminē in orbe sed nec ipsum orbem profecto formidans: nihilominus in timore dei permansisti, in timore creatoris atq; iu-dicis perdurasti. Recogitans uitam apud te tuam et quædam ab-hominanda facta uidens, metuebas uitam illam: metuebas mor-tem insequentem, metuebas sub mortem dei iudicium, metuebas infernum inferniq; pœnas intolerabiles, et exoptabas animam sal-uam fieri, parum aut nihil curæ habens corpori quid acciderit aut diuitijs. Nullam omnino curam talē habebas qualem animæ ser-uandæ, modo illa influeret in dei gratiam nihil ultra quærebas, humiliās te in omnibus ut dei misericordiam obtineres, eius pien-tissimæ manui te cōmittens: eius ordinationi, arbitratui et quibus-libet ex eius arbitrio flagellis te summittens ut animam ita saluifa-ceres, exclamabas Quoniam ego in flagella paratus sum. Iam uos o christiani regem istum attendite, contemplamini pœnitentem, hunc consyderate quo doloris et gemitus ascenderit: dum assidu-am deo petitionē porrigendo diceret Ego in flagella omnia para-tus sum. Prætererat ferme iam flendi potestas, quando tanto do-lore tantaq; mentis anxietate repletus erat, ut præ singultu, præ suspirijs mentem suam exprimere nō possit in longū, sed quicquid restabat omnino paucis absoluere, dicēs Quoniam ego in flagella omnia paratus sum. Fac de me domine quiduis, si modo serues

Littera.

hanc a-

hanc animam pauperculam, hanc tibi debitam. Serua quam tam tenere diligis, quam supra res alias amplecteris, serua quam amas intime, pro qua mortuus es, serua quã redemisti. Nam ego quandiu uita superstes erit fiebo pro peccatis, gemam et lamentabor
, Et dolor meus in conspectu meo semper, causa propter quam in lamentationes istas incidam, nunq̃ excidet ab animo. Emphatica locutio est, qua cum ingentem animi sui dolorem indicet, infinitũ noiat. Peccator bonus, immo (si sic loqui liceat) optimus, peccati conscius, in hac uita cupit emendari ne pereat in futura, clamans ad dominum Quoniam ego iam pecaui, iamnunc in flagella paratus sum. Noli me igni æterno, noli tenebris exterioribus reseruare: sed in hac uita redde pro peccatis meis mihi, quoniam tu flagellas omnem filium quem recipis. Fac me tuum hic filiũ, da mihi quæso locũ inter eos quos hic flagellas. Quippe qui in laboribus hominum non sunt, qui cum hominibus non flagellantur, quorũ hic correctionem non quæris: derelinquuntur a te, et cum dæmonibus in inferno flagellabuntur. Perpendens ergo quid intersit ab eo flagellari qui ut filios corripit, et qui tanq̃ inimicos ad inferna detrudit: ad te domine confugio, quod est in animo uere confitens
, Ego in flagella paratus sum. Malo dignus præsentibus haberi flagellis, q̃ tanq̃ indignus abijci. Paratus sum ad sustinẽda quæcũq; flagella, paratus ad mortem. Si diuitiarum et prædiorum iacturam, si gregum et armentorũ luem immiseris: si quæcũq; possideo prorsus abstuleris, si mihi notos et charos amicos asportaris: modo mihi serues hanc animam, nõ est quod curem: si langores mihi superinducere uelis, si corporis afflictiones, si clades et miserias intuleris, infractus oĩa tolerabo. In hijs omnibus facito quidlibet, ut saluifiat anima. Modo anima mihi tuta remaneat: utcũq; corpus excipito. Castiga, percute, discerpe, macta, trucida corpus, ne parcas ob tutelam animæ. Non recuso mortem, ut salus animæ pariatur. Quæcunq; quis excogitare flagella potest et tormenta etiam ut excorier, ut membratim et frustatim dissecer, ut omnia Phalaridis et Dionysij, ut omniũ tyrannorum et tortorum machinaměta

Littera.
Emphatica locutio.
Hebræ. 12.
Psal. 72.
Propheta cũcta despiciens ob salutẽ animæ.

namenta patiar: ob animæ requiem atq; incolumitatem usq; perferam. Si filios adhuc teneros, si nepotes nondum grauioribus maculis implicitos abstuleris: beneficium hoc, non flagellum est. Hijs aut alijs quibuscunq; flagellis emendari purgariq; paratus sum: tantum ne periclitetur anima posco, ne pœnis obtrudatur æternis. Scio me peccasse, scio cōmeruisse. Tu quod mereor infer. P.

Littera. Ego in flagella paratus sum. Et dolor meus in cōspectu meo semper. An Propheta de flagello doluit, in quod se paratum aiebat? Absit hæc impietas, aberat ista contrarietas a uiro tam sancto. Vnde igitur? Certe hic effectus pro causa ponit. Dolebat ei causa doloris, dolebat peccatum. Humanæ fragilitatis est opplorare flagellis illatis, et ad causas eorum non aduertere. Multi infirmiores et queruli dictitare solent Quid peccauimus, quid commeruimus? Hæc quæ patimur indigne patimur: dum pœnam sentiunt peccatū et iniusticiam non consyderant. Cæterum propheta multo melius exemplo suo nos instituit Dolor inquiens meus hoc est causa doloris mei seu peccatum in conspectu meo semper, semper ante faciem mentis ut uideam, ut intelligam, ut diiudicem, ut dolendo corrigam, ut semper sim paratus ad agendum pœnitentiam semper ad illachrymandum, presto semper ad flagella perferendū, ad satisfaciendum: non per ieiunium solum, per orationem, et eleemosynam: uerumetiam per afflictionē corporalem in laboribus, uigilijs, et alijs asperis carnis meæ mortificationibus. Non fecit

Psal. 128. uerus iste pœnitens ut plæriq; peccatores assolent, qui supra dorsum fabricauerunt, prolongauerunt iniquitatem suam: sed pecca-

Expo. tum inquit meum in conspectu meo semper, semper coram me ut

Multi peccata nedigenter introspiciunt. deuitem, semper sub intuitu mentis ut cum periculum quod imminet ex peccato clare perspiciam, sedulo præcaueam. Semper ait. Non horam unam, non unū diem, non mensem aut annum unū; sed semper, sed continue se ait peccati memorem. Multi peccatores tanq̄ manticā in dorso ferunt, cuius anterior pars propendet in pectus, in tergum altera demittitur. In anteriorem aliena, in posteriorem sua peccata proijciunt: ut eo pacto cito uideant aliena,

difficillime

difficillime quidem et perraro sua percipiant. Alij fabricant supra dorsum, dissimiles ipsorum qui cumulos peccatorum in tergum retro iaciūt, Omnem illi peccati curam abijciūt, faciūt quod belli bibones solent: qui (ut fertur) dolio strenue epoto galli signū supra constituunt omnia cōtemptim prætereuntes, leuiter omnia et neglectim introspicie̅tes: nec reuerenť deum, diabolum nō formidant, non cœlos non inferna respiciūt, de futura uita non cogitāt: sed præsentem pro futura cœlesti deputant, non aliū mundum q̄ præsentem expectant, nullam uitam aliam q̄ istam ipsam quærūt. O uiri stulti, uiri mortales quæ uos demētia cœpit? Non esse deū creditis? non esse mundi creatorem et gubernatorem, non habere rerum curam et prouidentiam opinamini? creditis non eum uidere uos, non uidere quæ facitis? O stulti miserrimi, qui finxit oculos non uidet? qui uos fecit non consyderat? Creditis o stolidi non correcturum abhominationes, quas aspectat in uobis? O miseri, miseri quid hæc mala cogitatis, quid hæ cogitationes ascendunt in corda uestra? quare uobismetipsis sic illuditis? Væ uobis uæ
, quotquot estis ex eo numero, de quibus propheta cecinit Dixit Psal.13.
, insipiēs in corde suo Non est deus. Corrupti sunt et abhomina- Expo.
, biles facti sunt in studijs suis. Insipiens (inquit) et miser peccator non esse deum cogitat, qui curet orbem et prospiciat eidem: non humana facta ab eo iudicanda putat. Qui tam insipientes sunt ut ita cogitare uelint, procliues sunt ad omnem libidinem, ad omne uitium, ad omne peccatum: corruptelis omnibus, abhominationibus, et obscœnis ac bæluinis morib⁹ infecti fœdatiq; sordescūt. Tali nanq; corruptæ turpiq; cogitationi, respondet uita turpior. Fallax opinio pellicit ad improbitatē morum, et qui falso credunt inique quoq; uiuūt. Q; autem talia cogitantes fallantur et errent
, tota uia, idem propheta per ea quæ sequūtur ostendit Dominus Ibidem.
, de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat si est intelligēs
, aut requirēs deū. Deus e cœlo prospicit in terrā (inquit propheta) super huius mundi populum, ut uideat qualis sit ipsorū uita, qui mores: an se dominum deum agnoscant, an agnoscere studeant,

II an sedu-

an sedulo quærant et inuento uere seruiant, an pœnitentiã acturi peccata relinquant. Vocabit enim uillicos suos et omneis seruos ad rationẽ reddendam de factis, de uerbis, et de cogitatis. A ra-
2. Corin. 5. tione subducta, Reddet unicuiq; secundum ea quæ gessit, siue bo-
num siue malum: bonum uigilantibus et fidis dispensatoribus, malum infidelibus: quorum partem ponet tum hypocritis. Dum formidat hoc propheta pœnitens, ex ipsis præcordijs hoc infere-
Littera. bat Dolor meus in conspectu meo semper. Non exiguo sed toto uitæ suæ tempore dolebat, flebat, suspirabat: totam uitam tristem, totam gemebundam, totam lamentabilem, totam tremulam et pœnitentia plenam exegit: peccata cõtinue repetens animo quomodo castiganda forent, continenter orans et clamans ad deum pro suppetijs. Et ut e sequentibus manifestum erit, inde contritionis et pœnitentiæ suæ ueritatem ostendit, q; tanq̃ in unum aceruum peccata, miserias et abhominationes colligeret in mentem: atq; recollecta detestataq; reijceret. Non erat hæc leuis sed profũda trutinatio: non facilis et parua, sed grauis examinatio conscientiæ. Verrebat et scrutabatur omnem eius angulum, omnem locum excutiebat: ut nulla fœditas, nulla obscœnitas inibi remaneret, sed eiecta tota foret et expressa per confessionẽ, de qua sub-
19. Versus. iungit QVONIAM INIQVITATEM MEAM annũciabo et cogitabo pro peccato meo, Annunciabo (dicit) seu cõfitebor iniquitatem et peccata. Hæc enim iniquitatis annunciatio, ipsa peccati confessio est. Quæ quomodo fieri debeat, quæ circũstantiæ uel cautiones habendæ, quænã alia obseruanda: plus semel ostendi uobis. Ostendi q; spontaneam oporteat esse confessionem non coactam, ab ipsamet uoluntate nostra nõ alieno præcepto profectam: ob amorem dei et præceptorum eius, propter obedientiam ecclesiæ et desyderium remissionis habendæ, non ob formidinem aliquam aut pudorem fieri. Oportet esse festinam. Offenso deo per peccatum, q̃ primum agito pœnitentiã: ad confessionarium accurrito, ne commissa forsan obliuioni tradas, ne repente moriaris, ne merita benefactorum interim et suffragiorum ecclesiæ

Circũstantiæ vere confessionis.

Spontanea.

Festina.

ecclesiæ negligenter amittas, ne protraharis in ampliora pericula
, peccatorum, in periculosiorem diaboli ditionem. Quia peccatum Gregori⁹.
, quod statim per pœnitentiam non deletur: mox suo pondere ad
, aliud trahit. Sit ergo cita, sit festina confessio: non procrastinata. Simplex.
Oportet, oportet esse simplicem: non fictam. Si qua dissimulatio, si qua hypocrisis, si simulata sanctitas, si cupiditas humanæ laudis, si mendacitas affectata uel ulla ueritatis omissio confessionem inficiat: ipsa perit. In confessione nihil erit fabulosum, nihil affectatum aut factitium, nihil extraneum, nihil non simplex, solius remissionis et misericordiæ diuiniq; fauoris optatiuũ. Debet eadem esse uerecunda, humilis et amara: non superba, nõ impetuosa, non iactuosa, non ad ostentationem sui, non ad peccati defensionem formata. Non est de uirtute (si quam habes) magnifice et gloriose uel sentiendum, uel loquendum: non coram enumeranda benefacta ad tui laudem cæterorumq; cõtemptũ, in Pharisæi morem sic pro se contra Publicanum asserentis Domine gratias ago Uerecunda et humilis.
, tibi: quia non sum peccator sicut cæteri hominum, et sicut hic Pu- Luce. 18.
, blicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omniũ quæ possideo.
Inanes hoc iuuat, nõ uirtute præditos. Tu uero te humilia in omnibus, in confessione semper humillimus esto. Confessio tua sit amarulenta, sit doloris et pœnitentiæ plena: sit pudore referta q in tam abhominabilia usq; peccata cecideris. Sit eadem fidelis et integra. Sic fidelis, ut secundum ecclesiasticam et catholicã fidem fiat: fidelis, ut qui facit, de uenia non desperet, sed dei misericordiam firmiter expectet: sic fidelis ut qui confitetur, in ipso sacramẽto sicut et in alijs omnibus uirtutẽ sanguinis CHRISTI remanere solide perfecteq; consyderet, quo lauamur a peccatis: iuxta Amara. Fidelis.
, quod scribitur Ipse lauit nos in sanguine suo. Confessio sit integra Apoca. 1.
quoq; non diuisa, nõ per partes ostensa: sic ut pars initio quadragesimæ pars in paschate monstretur, pars hoc tempore pars altero, una pars uni alteri altera, sed simul tota: non minutim aut frustatim, non ut finis inceptæ narrationi non respondeat, non (ut diximus) partim huic partim illi confessionario, sed insimul et Integra.

Accusatoria. uni tota. Sic integra sit et completa. Sit et accusatoria, non alterius sed sui. Iustus enim (ut ait Solomon) in principio sermonis ac- Prouē. 18. cusator est sui. Accusa, non excusa peccatum, cum illo qui dixit, Non sum peccator sicut cæteri. Accusa te ipsum solum. Caue de Lucę. 18. alio quid dixeris, nisi peccati grauitas et aliæ circumstantiæ necessariæ non possint aliter exprimi. Cauendum omnino, cauendum ut culpam tuam in alios transferas, inquiēs illo impulsore hoc aut id te fecisse, hoc illo ue modo deliquisse. O miserrime peccator, tu tibi in causa es peccati, tu tibi in causa sordidæ et maliciosæ uitæ. Non homo non homo, sed nec dæmonium te compellere potest ad peccandum. Nunq̄ peccare potes nisi uolens. Vides ut cōfessio tibi necessaria est, et quomodo tibi confitendū. Oportet omnino peccatū non cœlare intrinsecus. Nam sicut hij qui escam gestant intus indigestam flegmate grauantur et humoribus, stomachoq; male habent, et si uomuerint releuant̄: ita peccatores quādiu peccatum intra se retinent, uarie molestantur ab eodem: sin accusantes seipsos, peccata per confessionem euomuerint: morbi causam digerunt et hac molestia uacant. Diligenter autem est circumspiciendum cui confiteri debeas, probandus medicus cui langorem et causam exponas, deligendus qui sciat et uelit omnia rite administrare, qui compati possit infirmitati tuæ et cōdolendi disciplinam nouerit: qui se prudenter et misericorditer in omnibus antea gesserit, qui cum infirmo soleat infirmari et cum flente flere. Quem semel elegeris et cui pectus tuum credideris, eius sequere R. cōsilium; quod facere iubet facito et quod uitare uitato: quancūq; pœnitentiam iniunxerit adimpleto: quantumuis grauem et molestam, quantumuis duram et amarā: sanitatem etenim affert hęc amaritudo languenti. Monebit asperis et cilicinis uti uestimentis. Vtere. At o q̄ est durū (inquies) ut id imperanti parere debeam? Certe Ioannes baptista fecit iniussus, camelino usus indumento et cinctu pellicio. Et quam ob id laudem meruit a CHRISTO, docet euangeliū. Iubebit ut in pane et aqua ieiunes, Tu ieiunato. Totam uitam sic egit Ioannes, nunq̄ uinum bibens neq; siceram: sed et

Non preter teipsum alius accusand9 in confessione.

Parendum h[illegible] que confessiōarius iniungit.

Asperrima penitentia Johannis.

Luce. 1.

sed et locustis ac melle pro cibo contentus. Quomodo Niniuitæ sibi gratiam et remissionem peccatorum quærebant, nisi ieiunio, planctu, cinere, et cilicio? nisi per obedientiam, quam habebant consilio Ionæ prædicantis? Fac ergo diligenter obtemperes confessionem audituro, eius salutari consilio, et iniunctionibus. Neque peccati conscius, quisque sit securus: non secure dormitet in utranque autem, non prætendat innocentiam noxius, non omnia susque deque habeat. Saltem intra se cõmoueatur et intelligat quid hic propheta senserit: et consentiens illi dicat Cogitabo pro peccato meo. Si quis inciderit in peccata, cogitandum est assidue quomodo resurgat: resurgendi solicitudo semper habenda, semper et attente cogitandum ut illa peccata possint aboleri. Corpori cura adhibetur, in quo si uulnus oriatur, si uel macula cõsurgat aut quid intumescat: medicus illico perquiritur, pharmacopola uocatur, chyrurgus accersitur, excurrunt equites, pedites: calcaribus equi subiguntur ut nec defessi cessent, itineribus multis ac longis pedes atteruntur. Non parcitur equis, non parcitur pecuniæ, non labori: magna est undique solicitudo, cura magna, magna omniũ diligentia: tãtum ut corpori sanitas asseruetur aut restituatur. Si perturbet oculum et inficiat humor aliquis acerbus: tota statim impenditur opera ut succurras, ut cæcitatẽ præuenias. Si pedem, si quã partem corporis quid urgeat atque angat: nihil nõ fit ut alleuetur. At quanto præstantior est anima corpore? Si tamen illa doleat, si per peccata male habeat et ægrotet: nulla nauatur opera qua sanetur: gehenna contemnitur, ignis futurus irridetur, iudicium dei paruipenditur, ecclesiæ monita despiciuntur, hæc anima preciosa non curatur, non respicitur aut iuuatur. Non recordaris qualiter homo quidam qui descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones, et spoliatus ac plagis affectus, semiuiuus est relictus: qualiter ille ductus est in stabulum stabularioque creditus, alligata uulnera eius, et infusum oleum atque uinum. Factum hoc a Christo narratum, ut tu sequaris: ut quod in corpore factum est, tu perimpleas in anima. Tu peccato uulneratus post iugẽ rememorationẽ

Spontanea Niniuitarum penitentia.

Littera.

Maior habetur cura corporis quam aie.

Luce. 10.

ad ecclesiam ultro uenies aut ducendus es, ubi per sacerdotem et confessionarium tuū, oleum suauis consilij et uinum acerbæ correctionis accipies: nec ad sanctorum cōmunionem accedendum priusq̄ hoc perfeceris. Tu tamen negligens et securus nimiū accedis ad Eucharistiam, et sacrosanctū illud corpus deglutire non formidas: tanq̄ purus, tanq̄ innocens et nihil in te indignum habens: neq; meministi ꝙ dei iudicium effugere non possis, non recordaris quod scriptum est per Apostolū, Inter uos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Multi sunt profecto qui detinētur infirmitate, multi quos premit imbecillitas, et multi quos somnolentia grauat. Illi sunt infirmi, qui facillimo quoq; motu, qui stramēti (quod aiunt) agitatu corruūt ad malū, leuissima tentatione uincuntur et peccato cōsentiunt: qui ue nimium suis uiribus attribuentes, occasiones peccandi non deuitant, nec a mala societate prauisq; conuenticulis abstinent: putantes sese posse cunctis tentationum generibus resistere, et inopinati rapiuntur in sentinam peccaminum. O hominem imprudentem, o hominem gratia destitutū, Oblitus es quod scriptū est Spiritus promptus est, caro autem infirma? Ne cōfidas ergo infirmitati tuæ, diffidas ipse tibi, Quoniā multi infirmi. Et multi ægri (dicit Apl'us) atq; imbecilles. Multi quidem ægri, hij, qui dū peccāt in peccatis perseuerāt, qui dedie in diem, de anno in annū, a iuuēta in senium adeo perdurant in eis, ut in damnatissimam cōsuetudinem deueniāt. Qua fit ut corrupte praueq; iudicent se mundos ac defecatos, se iustos atq; bonos, cum sint iniquissimi. Eousq; præterlapsi sunt limites, ut ægre consilijs ullis obediant, uix præceptis regantur ullis, uix ab ullo peccandi genere resurgant, etiam in ipso mortis articulo. Adeo prius inescati sunt atq; illaqueati, adeo facti sunt ægri: et nō uerentur tamen ad hanc sanctam mensam accedere. Et dormiunt multi. Dormiunt illi qui tunc sese tutos arbitrantur, cū periclitentur maxime. Nam qui dormitum eūt et se componūt ad quietem: clausis hostijs, clausis fenestris, et omnibus rite obseratis, semotisq; (uti credunt) periculis, in utrunq; latus dormiunt ociosi. Sic agitur cū

Accedentes idigne ad mēsam domini.

1. Cori. 11.

Expo.

Math. 26.

1. Cori. 11.

Ibidem.

agitur cum hijs qui somnolenti iacent in cœno peccatorũ, sordidis uoluptatibus irretiti. Veluti somno iacent oppressi: sic a peccatis illi non resiliunt. Vt in somno sensus omnes obscurantur et alienantur a nobis, tam uisus, auditus, odoratus, gustus q̃ tact9 ipse: ut omnis certe rerum agnitio tollitur et cura periculorum aufertur, adeo quidem ut si gladius immineret ad necem extemplo infligendã, non sentiret quis aut timeret ut exiliret: sic ab hijs qui dormiunt in peccato, sensus auferuntur: uera noticia tollitur, timor et cura discriminum eripiuntur. Quidlibet capitibus impendeat ipsorum non refert, quicquid damnationis ingruat haud cõsyderant: sed quo iure qua ue iniuria ad id quod conantur excurrunt, et abhominabiliter plærunq; peccant. Nec (obstãtibus hijs uicijs) ad dominicam mensam uerent accedere, Sed iudicium sibi manducant et bibunt non diiudicantes corpus domini. O cæcos et imprudentes homines, o stolidiores asinis et equis, quibus non est intellectus. Surgite iam, excutite pectora, conscientias examinate, prædiscite quid sit cum domino immo dominũ ipsum mandere, res quanta sit ad hoc sacramentum accedere. Sed hij rudes et crassi peccatores faciũt quod solent acuta febre laborantes, quibus quandoquidem gustus est corruptus, omnem cibum bonum malum esse iudicant: salubrem cibum iudicant insalubrem, insipidũ, atq; insuauem. Cunq; tanq̃ repugnantes et inuiti manducẽt, stomachus insurgit, fluctuat, obruitur: sic itur ad uomitum, ut cibus acceptus minime prosit. Sic nanq; miser ægrotans dum se ad hunc preciosum cibum ingerit: internus et spiritualis ipsorum stomachus super hoc cibo tanq̃ leuissimo nausiat. Quo fit ut eis non prosit, sed ad damnationem et gehennam ædificet. Qui manducat enim indigne, iudiciũ sibi mãducat. Quemadmodum nausiantibus Iudæis Manna nõ sapuit: ita corpus CHRISTI male saturis peccatorib9 desipit. Quare igitur multi infirmi, multi imbecilles et ægri, quare dormiunt multi: nisi q; se non diiudicent, non seipsos examinent, nisi q; non intelligant quid sit in Ecclesia dei rite cõmunicare, uel quod intelliguht nõ exequantur? Probet autẽ seip-

[Margin notes: 1. Cori. 11. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem.]

autem seipsum homo, et tunc de pane illo edat et de calice bibat. Nam quicunque manducauerit et biberit indigne, iudiciũ sibi mã-

Quid sit pro peccato cogitare.

ducat et bibit. Ergo memento quisquis eris accedens ad mensam domini, quid noster hic propheta dixerit. Cogitabo (inquit) pro peccato meo. Cogitabo, hoc est diligenter ad memoriam omnia peccata mea reuocabo, etiam minima queque ut nec apex unus aut Iota unum remaneat inconfessum, ut non sit inexploratus angulus ullus animæ: sed euertam et scrutabor omnia, donec inueniã quicquid inest praui: donec intelligam nihil inesse non contritũ,

Esai. 38.

nihil nõ perfectũ, sicut et alius de se propheta fatetur Recogitabo

Expo.

omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sic faciam prudenter et prouide longaque cum examinatione, quo nulla pars uitæ maneat indiscussa, postq̃ doli compos bonum a malo discernere norim: sed et grauitatem delicti ponderabo, peculiaremque contritionem et offensis accommodam subibo, non leuẽ (ut ita loquar) displicentiam. Æquitatis et iusticiæ trutina uitam meam (sicuti est) probabo, ut peccato pœnitentia iuste coequetur sicut scriptũ

Deute. 25.

est Pro mensura delicti erit plagarũ modus. Non hoc anno peccata, non superiore solum perpetrata: sed totam uitam, sed totum

Littera.

ab infantia quicquid admisi, trutinabo. Sic cogitabo pro peccato meo, sic cogitabo pro delictis meis. Quid est pro peccato cogitare, nisi pro uulneribus inflictis animæ curam gerere? Quid aliud est Cogitabo pro peccato, q̃ dabo operã ut anima sanetur a peccato? Quid aliud uolo, cogitans pro peccato: q̃ diligẽter et studiose delere peccatum? Si filius tuus moriatur, si nepos, solueris in dolorem atque planctum: si peccet, non sic afficeris. Qui si rerum differentias internosceres: plus peccato morientem q̃ raptum ab hac misera uita defleres. Tunc uitæ modum imponeres, tunc uiuendi normam edoceres, tunc multiplicem disciplinam adderes. Quod si faceres et ille non audierit: tũc pro desperato plangeres. Si bos, si equus, si asinus ceciderit in foueam: non solum manum ipse tuã apponis, sed et proximos uocas in auxilium ut extrahat. Et quanto melior homo brutis? quanto præstabilior anima?

Si tamen

Si tamen ipsa e dei gratia in baratrum offensionis excidat: non adeo curas, non perpendis, non remedium quæris, non laboras ut saneris: non operam impendis ut sanetur quem diligis, ut sanetur omnis homo quem diligere teneris. O miserrime peccator homoque stultissime qui pluris equum q̃ animam, pluris asinum q̃ teipsum æstimare uideris. Quamobrem tu cogita pro peccato, fac boui præponas animam, fac equo teipsum anteponas, fac mũdo præferas æternam in futuro gloriam. Cogita pro peccato, cogita nõ quomodo perpetres: sed quomodo deleas, quomodo purges et permundes. Sicque nulla fuerit in te peccati sanies, si pura tibi cõscientia, si sine macula sine ruga: tunc cũ timore simplici, cum debita reuerentia, cum suaui desyderio ueniens ad mensam domini sumes quod offertur. Comedendo, cœlestem suauitatem imbibe. Medicina nanque tibi est, remedium est, salus est, sanitas est, uita est: omnia est reuerenter et digne suscipienti. Sic cura, sic cogita ut uulnus animæ curetur. Dic itaque cum propheta prius, dic et intus dic, dic et fac quod dicis Cogitabo pro peccato meo. Cogitando nitar ac semper intendam ut peccati sordes abluam, ut uulnus inflictũ animæ sanem, ut animæ sanitatem ubique restituam. Propheta uero face charitatis accensus quod in se pœnitẽdo perimpleuit, in alijs quoque perimpleri cupit: et quos ab ea re uidet alienos, q inijmici dei sint, suos quoque (quod sentit) noiat inijmicos. Et eos adeo in hoc sæculo multiplicari firmarique cernẽs indolet, et dolendo subiungit INIIMICI MEI VIVVNT ET CONFIRMATI SVNT super me, et multiplicati sũt qui oderunt me inique. Mos hominum est, cũ filijs suis iam adultis puerilem ac uiciosam lasciuiam deferbuisse uiderint: tũ denique thesauros suos diuitiasque reconditas, eisdem patefacere. Quandiu nanque pueriliter insaniunt, arcentur ab hijs parentum archanis et emolumentis suis: ne si sciant, eo magis insolescant. Similiter aia si non terrena contempserit, nisi terrenorum amorem abiecerit: cœlestia cernere, cœlestia mirari non poterit. Quandiu terrena sequitur, alienat̃ a supernis, iuxta illud Apostoli Animalis homo nõ perci-

Littera.

V. 20. Versus

1 Cotin. 2.
Expo.

Ad celestia non vocatur mysteria nisi qui terrena cõtempserit.

non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Quandiu mundanis hijs praecipue gaudet, in hijs mentem sitam ac fœlicitatem collocatam habet: nunq̃ aspirabit ad æterna, nunq̃ illa cœlestia sapide sapiet, non percipiet ea quæ sunt spiritus, nũq̃ habebit archana secretaq; diuini spiritus mysteria sibi reuelata. Aut si qua reuelari contigerit, si quas cœli gratias, si quos thesauros ostendi: non in ipsius aure suauiter et grate sonabunt, palato non placebunt, non sapient aut redolebunt in gustu et olfactu animæ, non subsident in animum, non in cor alte descendent aut in ipsa mente sedebunt, non patefient aut procedent in opere. Animalis enim homo totos intellectum et affectum sensibilibus desyderijs habens obrutos, mundanis oblectationibus oppressos, et carnalibus factis illaqueatos: non sapit, non percipit, non attendit ea quæ sunt spiritualia, quæ respiciunt animam, quæ spiritum concernunt, quæ ad deum et cœlestia tendunt. Sicut lingua febricitantis dulcia nõ discernit ab amaris: ita mundo deditus et carni, non recte mundana discernit a cœlestibus: dum illa nimium sedulo quęritans ad hæc nõ contendit. Itaq; Propheta Dauid quandiu carnalem egit uitam et mũdanam, desyderia carnis et illecebras insecutus, ludis, iocis, nugis et uoluptatibus omne tempus impendens: tamdiu non erat exceptus in secretum selectumq; dei consilium, non est factus prophetarum eximius, neq; sciebat uoluntatem spiritus.

2.Cori.6. Quæ nanq; cõuentio CHRISTI ad Belial, dei ad diabolũ? quę carnis ad spiritum? Sic aduersantur, ut copulari nequeant. Non coadunari possunt aut compingi, non patiũtur mutuam societatem, concordes aut consortes esse nolunt. Sed ubi ueterem hominem exuit, ubi uitam antiquam deposuit, ubi gustato spiritu carnem abiecit et a factis impijs abhorrens uera pœnitentia duci cœpit: tam profunde spiritum hausit ut totus e carne cõmutaretur in spiritum, totus a mundo retractus, non secundum carnem uiueret in carne. Quandoquidem in tam populosa ciuitate manẽs, in regno tam spacioso ac prælustri: non solicite solum regni curas administrabat, non solum quæ ad se spectabant omnia rectissime

perficiebat: sed feruidior insuper erat in amore dei, et compũctione cordis, rerum supernarum amantior, spiritualium et diuinarũ uirtutum appetẽtior: q̃ plæriq; omnes heremitæ, q̃ perpetui pœnitentes, q̃ monachi in deserto uiuentes. Lachrymas illas et fletus uberrimos quos noctu pariter ac interdiu fundebat: uix eorum aliquis qui CHRISTO crucifixi uideri uolunt, exprimere solet. In qua re nõ id dumtaxat aduertendum, q̃ ita fleuerit atq; luxerit: sed et quis erat qui flebat: et q̃ talis ac tantus, se tam humiliter eo deiecerit. Non est æqualis luctus singulorum. Multo plus est uirum tantæ potestatis, tantæ celsitudinis atq; authoritatis qui neminem formidat, formidolosus omnibus: adeo sese humiliare ad pœnitentiam, sic se curuare ad gemitum in conspectu dei simul ac hominum pariter astantium officiaq; simul deferentiũ, sic indesinenter se affligere: q̃ si quis inferior et abiectior idipsum præstiterit. Plebeius quispiam se continet a luxuria, refrenat a profusione, se cohibet a crapula, ab ocio, a segnicie: non est elatus, non iracundus, iactuosus, iniustus, nõ intemperans. Minor laus eius q̃ tantæ potestatis, si pariter se cõtineat. Maior enim occasio huic in hijs delinquendi, q̃ illi. Huic affluunt omnia, nutui parent omnia: per quæ difficillimum est ut nulla fiat animæ resolutio. Ad sublimitatem honoris innumera confluunt incitamenta malorũ, fomenta libidinis: inter quæ, quomodo locum compunctio cordis habebit? Hijs repellitur obstaculis: hijs prænotatis uoluptatibus, hijs ueluti muris excluditur. In tanta rerum copia qualiter admitti potest insuauitas uitæ? Oh, supra conditionem hominis est. transcendit humanas uires inter hæc uersari, tãtis et tam suauibus abundare: nec interdum eisdem pollui. Sicut est impossibile ut ignis inflammetur in aqua: ita neq; fieri potest ut compũctio cordis uigeat in delicijs. Contraria sibiinuicem hæc sunt et peremptoria. Compunctio mater est fletus: mollicies autem et deliciæ risus. Compunctio constringit cor hominis: deliciæ dissoluunt. Compunctio corpus affligit ad salutem: deliciæ nutriũt ad perditionem. Compunctio euehit in cœlum: deliciæ plumbi instar

Luctus prophete singularis.

X. Mollicies et compũctio simul esse nequeunt.

instar mergunt in lacum, demergunt ad infernum. Attamen hic propheta noster in summa libertate potestateq; constitutus, præ contritione spiritus se tanq̃ uinctum habuit: in solio regali, uelut in carcere sedit: purpuram ut cilicium induit, in magnifica mēsa recubuit, regioq; cubili tanq̃ in cinere iacuit, in aula sua uelut in uasta solitudine uixit: in tanta aulicorum multitudine, tanq̃ a turba semotus maximeq; solitarius erat. O secretum illud animi cõclaue in quo rex iste cõquieuit, o penetrale pij pectoris in quod se subinde reposuit, o uitam prorsus abstrusam quæ in ipsa facie orbis medioq; tumultu se tam mirifice compressit. Cuinam alioqui credibile foret, ut in medijs quis turbis non turbatus ageret? ut in ipsis perturbationibus requiesceret? ut in amplissima mũdi gloria mundum contemneret? ut tanq̃ mundo mortuus in mũdo, tanq̃ humilis pauper et inops in tanto regno degeret? ut tanq̃ sine corpore, corporis gestaret induuiũ? ut habens omnia, tanq̃ nihil habentē se gereret? Ista tamen omnia, in eo perfecit ardor diuini spiritus. Quo duce utebatur preciosis ad honorem dei, nõ ad uoluptatem suam. Non opes, non deliciæ, potentia, gloria: non honor, non authoritas aut alia quæuis irritamenta malorũ poterant eum a compunctione cordis impedire: sed perpetuam terribilis illius iudicij memoriã habens totus perhorruit. Addubitabat ut uitam suam deus ipse trutinaret, ut facta probaret, ut ipsum exciperet: et ob id mundo ualefecit, mundũ contempsit: diuitiarum, honorum, deliciarum, potestatum desyderium atq; omnino corporis curam abiecit: se conuertens ad animam, conuertens ad deum præter quem omnia nihilipendit, in rebus omnibus solum eius honorem requirens. Et ne uenietem ad se deus indignum a se repelleret: præteritam ex omni parte uitam emendauit sua plangens peccata, plangens et aliena. Nonne mirus affectus et ardor eius erat animi: dum cunctos peccatores atq; impœnitentes quos hostes dei iudicabat, suos quoq; sentiret et nominaret inijmicos? Si fueris bonus (inquit Augustinus) inijmicum non habebis nisi malum. Cui psalmista concordat non hic solũ, uerũ-

Omnia abiecit propheta ob amorē dei.

Augustin. ser. 225. de tempore.

, ſolum,uerumetiam ibi Nonne qui oderunt te domine, oderam et Pſal.138.
, ſuper inijmicos tuos tabeſcebam? Oſores domini, ſuos clamitat Expo.
aduerſarios eſſe. Super hijs ſe tabeſieri fatetur, cupiens ut uel illi reſipiſcerent, uel ipſemet e medio tolleretur: ne tam impios inuitus aſpectaret. Videbam (inquit) hos ſtolidos peccatores,qui dũ ſibi placent, dei inijmiciciam incurrunt: iſtos inſenſatos homines qui præ ſtudio uoluptatis ſuæ, legem dei derelinqunt: et tabeſcebam. Moleſtabar animo, corpore conſumi uaſtariq́ʒ uidebar: dũ inijmicos et hoſtes dei uigere regnareq́ʒ cernebam. Qui ſunt inijmici dei, niſi qui deo per peccata relicto,tranſfugiunt ad diabolũ:
, et in ipſius exercitu militãt? De quibus inquit propheta Inijmici Littera.
, mei uiuunt. Mei nanq́ʒ ſunt qui ſunt inijmici dei, ꝙ ego me deo diuinæq́ʒ ſeruituti dedicarim. Viuunt homines improbi, prçuaricatores angeli. Hij mala perſuadent, illi perpetrant. Vtriq́ʒ moleſti ſunt et inijmicantur mihi. Mali uiuunt homines iu hoc ſęculo: iam hic uiuunt, poſthac alibi morituri. Hoc eſt ipſorum gaudium, hæc uoluptas, iſta fœlicitas, ſola carnalis: hæc uita, uita ipſorum eſt: hac letantur et exultant neq́ʒ futuram expectant, ſolam hanc concupiſcunt,cui mors debẽť æterna.Contra, boni moriuntur in hoc ſæculo, dum quicquid eſt huius ſæculi uilipendunt ut deo placeant, dum ſe mortificant et ſecludunt a uicijs cũctiſq́ʒ mundi commoditatibus, ut uni CHRISTO uiuant. Quibus

Viuſt mali in hoc ſe͡clo/boni moriuntur.

, inſit Apoſtolus Mortui eſtis, et uita ueſtra abſcondita eſt cum Coloſ.3.
, CHRISTO in deo. Sequũtur enim quæ cœleſtia ſunt, et quæ terrena, deſpiciunt: perficientes illud quod etiam ibidem monet
, Apoſtolus Quæ ſurſum ſunt quærite,nõ quæ ſuper terram.Quicquid agunt, ſurſum uerſus extenditur: cœleſte quid olet et ſupernum ſapit, ſurſum eſt quicquid agunt. Q̃uq̃ corpus infra manet, ſuperne conatur anima:licet caro trahat ad inferiora, cordis amor ſurſum euehitur: licet corpus decliue ſit in terram, mens ardentiſſima uolat ad ſuperos: quidcunq́ʒ facit in terris, cauſam quamobrem faciat ſurſum eſt, ob dei amorem et in ipſo deo. Quicquid agũt, amore dei faciũt: quocunq́ʒ pergũt mentẽ in deo ſitã habet.

Ibidem. Expo.

Piorum animus ſemper in celis.

KK Sæpe ꝑ

Sæpe per contemplationem tanq̃ in extasi suspendunt, sæpe per studium et sublime desyderium supra se rapiuntur: in mũdo tanq̃ extra mundum, citra carnis usum in carne uiuunt. Non sapiunt ea quæ mundi sunt, sed quæ dei: non sentiũt præsentis uitæ blandimenta, non utuntur sensu libidinis, non sequuntur æstum auariciæ, non iracundiæ uel impatientiæ stimulum, non curas, non molestias, non solicitudines et angores sæculi. Nulla fraus ducit eos, nõ illaqueat iniquitas. Neq; uitæ cupiditas, neq; timor mortis auertit ab honesto. Bona profecto mors, quæ uitam nõ aufert sed transfert in melius. Bona mors, qua corpus non cadit: sed anima subleuatur. Fœlix eorum mors, quorum corpora in terris sed conuersatio in cœlis est: quorum corpora de terris nõ separata, sed merita sunt in cœlis et animæ sanctorũ coequales. Relinquebant hic consortia hominum, ut postea cum sanctis uersarent̃ in cœlo. Y.
Psal. 54. Poterat eorum unusquisq; cum propheta dicere Ecce elongaui fugiens, et mansi in solitudine.
Expo. Parum esse putabat exire, nisi longe procederet: ubi semotus ab omni turba corporali, quiescere possit animo. Mansi (inquit) in solitudine, tanq̃ in tutissimo mẽtis asilo. Quid ibi facturus? Quid hij omnes ibi fecerint, docet Apostolus Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, in cauernis terræ.

Solitaria vita prophetæ.

Hebræ. 11.

Quando dicit̃ in melotis et pellibus caprinis, eorũ uestium asperitatem et uilitatem docet: qui uelleribus incultis ouium, aut caprarum uillis, erant operti: docet eorum paupertatis et abstinentiæ grauitatem, inquiens Egentes: docet corporis et animi curas atq; angustias, cũ adijciat Angustiati: qualiter animus eo solum intenderet, ut deo placiturus mundũ et occasiones eius euitaret: cum subdat, Afflicti: docet qualiter corpus assiduitate laborum, studiorum, uigiliarum, ieiuniorum, lectionum, orationum, contemplationum edomitũ in debitum animæ seruicium facilius adduceret: In hijs quæ sequũtur ibidem, In solitudinibus errantes, docet queadmodum in cauernis, montibus et speleis habitabant, qui domos proprias non habebant sed nec

habere

habere uolebant: docet quomodo cunctas mundi delectationes
et eius omnia blandimenta prorsus abiecerint, ut compendium
inuenirent et in remotis atq; abditis locis solo deo fruerentur.
, Mortificabant se membraq; sua quæ erant super terram, legem Colos.3.
membrorũ imperio mentis ubiq; subiugabant, stimulationes car= Expo.
nis et peccati fomites fortitudine spiritus et ardente flamma cha=
ritatis excludebant: fornicationem, immundiciam, libidinem, cõ=
cupiscẽtiam arctissime comprimebant: qui neq; peccatum ullum
aut peccati speciem sic admittebant ut uel ipsi delinquerent, uel a=
lios in delicta traherent. Sed cur propheta in solitudinem se fu=
gisse ibiq; mansisse prædicat, qui cum rex esset nunq̃ sine suis sti=
patoribus incedebat, nunq̃ aut sedit aut recubuit sine multis obse=
quijs, nusq̃ non habebat paratam multitudinem uel ad salutan=
dum uel supplicandum? Non in saltu aut in indagine, non in ul=
la solitudine solus esse poterat aut diu manere: ad quem iugis et
creber omniũ fieri solet accursus. Non potest rex (qui publica per=
sona est) solus usq̃ esse: habent enim omnes subditi necessariũ ad
regem suum confugium: hij ob animi uoluptatem, illi ob debitũ
obsequium, alij ob necessitatem, et causarum expeditionem: ut
, ad eum non absurde referri possit quod in euangelio scribit Vbi= Matth.24.
, cunq; fuerit corpus, illuc cõgregabuntur et aquilæ. Qualiter ergo
, uere pronunciat Elongaui fugiens et mansi in solitudine? Quo= Psal.54.
modo potuit ipse mundum deserere cũ rex esset? quomodo mun= Expo.
danorum hominum societati renũciare qui uixit in mundo? De=
seruit tamen atq; abrenunciauit. Nam cum esset in medio homi=
num concursu sic se habuit tanq̃ qui solus esset, cum foret in mul=
tipharia societate ut solitarius erat, et sic fugit in solitudinem, in
abditam et secretam solitudinem conscientiæ: quo nemo sequi il=
lum potuerat, ubi præter deum ipsum nemo manere potuit, et ubi
, totus ac solus cum deo, et deus cum eo. Idq; est quod ait Elon=
, gaui fugiens et mansi in solitudine. Certe de recondito secretoq;
conscientiæ deserto sentit: in quod qui sese recipit, ibi requiescit: ibi
Z. solus est, nisi quoad deus ipsum associet quo delectatur unice.

Elongaui (inquit) fugiens, hoc est reliqui frequens desyderiū humanæ societatis, ut cum deo coniungerer in habitaculo cōscientię. Fugi tumultum orbis, ut totus in CHRISTO conquiescerem: mundum spreui, excussi iugum sæculi, deposui turbas rerum mūdanarum: ut cum deo liber in foro conscientiæ uersarer. Qūq in orbe coram agens, agens in propatulo, mentem in deo fixam habebam: spiritum, animam et corpus, cor, mentem, sensus omnes, amorem, desyderium, uitam et mortem ad deum ubiq referebam. Hæc non percipit animalis homo, hæc non uidet qui iudicat secundum faciem. Videt homo carnalis quod patet: deus intuetur cor. Videntur hominibus iusti, quos deus nouit esse peccatores et inijmicos suos: de quibus propheta dicit Inijmici mei uiuunt. Improbi uiuunt et ualent in hoc sæculo, impij hic fœliciter et iocunde degunt, hic lætantur et exultant, hic florent, hic gloriantur et triumphant, lætantur etiam cum malefecerint et exultant in rebus pessimis, gloriantur in malicia: clamitantes illud Dum possumus sic uiuamus ut non pereant dies nostri, uiuamus iocūde, sic uiuamus quoad uita nostra durat: clamitantes item, (quod scriptura testatur) Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Fruamur bonis quæ sunt, uino precioso et unguētis nos impleamus: ubiq relinquamus signa læticiæ nostræ, nil sit quod non pertranseat luxuria nostra. Comedamus (inquiūt) et bibamus. Non isti comedunt ut uiuant (quod oportet) sed uiuunt ut comedant, potent et luxurient: quorum deus uenter est. Sed turbatur iustus et zelat, pacem peccatorū uidens. Carnis et mundi delicijs ebrij fiunt, totos dies in mensis, in poculis, tripudijs et lasciuijs ablumunt: diuitijs abundant, honore potentiaq superbiunt, rosis se coronāt: cōmessationibus, cubilibus et impudicitijs indormiscūt, sola mensarum, calicum, lectorum gaudia norunt. Hæc sola meditantur, hæc sequuntur, in hijs uiuunt, hæc sola placent eis: et interim in labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellantur. En sęculare gaudium. Illud autem iustum offendit, dū causam nescit: cur deus tanta pœna dignos, præterit impunes.

Certe sa-

Littera. Gaudia vana mundanorū. Prouer.2. Esai.22. Sapien.2. Philipē.3. Psal.72. Ibidem.

Certe facit ad exercitium et probationem iustorum, ut probatio patientiam operetur, patientia uero spem. Enim uero sæculi lætiscia est impunita nequitia, dicit Augustinus. Ingurgitant, crapulantur, ebrij sunt, labũtur in omne genus turpitudinis ac propudij: nec interim ulla retardãtur aduersitate. Videte gaudia sæculi, mũdanorũ gaudia. Hæc (quæ diximus) et multo plura mala perpetrant magis ac magis indies: neq; fames opprimit, non belli timor ingruit, nõ pestis inuadit, non morbus aggrauat, non ulla formido molestat, nulla dispendia turbant: sed quælibet in pace, quiete, secureq; usurpant atq; possident. En sæculi gaudium: sed lubricum, sed fallax et fugitiuũ. Neq; etenim (quod credis) deus tales usqueq; prætergreditur impunitos. Nullam hic pœnam infligit hijs, quos futuræ maiori reseruat. Quod et ibi propheta clamitat Non est respectus morti eorum. Non est hic: sed dum alleuarentur (inquit) subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam, imago eorum ad nihilum est redacta. O iudicium dei magnum atq; inscrutabile. Tu peccas, neq; te punit ipse: tu peccas, sed transgredienti præcepta parcit: tu peccas, errantem nõ castigat sed manum omnino retrahit, non flagellat abeuntem in omne scelus. Væ tibi. Hæc est uindicta dei, hæc ipsa iusticia: certe iusticia est sine misericordia. Non hic puniri pro peccato, summa pœna est: grauissimum supplicium. Qui nullam hic pœnam sustinent, destinantur ad æternam. Nullam hic itaq; sustinere, tormenta includit ingenuissima quæq;. Vis scire nulla hic pœna, quãta sit pœna: iudicium nullum quantum sit iudicium, nulla damnatio quanta damnatio fuerit? Prophetam interroga dicentem, Exacerbauit dominum peccator, secundum multitudinẽ iræ suæ non quæret. Eousq; deum peccator lacessit, ut hic castigare nolit: sed ad futurã pœnã reseruet. Quãdo id ꝓpheta dixit: uisus est uidere peccatorẽ, qualẽ hic describimus: impune peccantẽ, ubiq; luxuriantem, omnia corrumpentem et scelera quæq; perpetrantem. An huic dominus non irascit? Irascitur, irascitur plane. Exacerbauit enim ille dominum. Et iratus an abstinebit a correctione?

Iacobi. 1. Augustin. Psal. 72. Grauis ira dei dñ hic nõ punit. Psal. 9. Expo.

Ibidem. Abstinet plærūq; Quia secundum multitudinem iræ suæ nō quæret. Ideo caueto tibi, quisquis es, a quo sic abstinet. Iræ suæ multitudinem effundet in te, si non præcaueris. Parum est ut dilectum filium, paulisper hic castigari, multum est inæternum abdicari: parum temporarijs hic pœnis affici, multū æternis affligi. Ergo nemo sibi gratuletur, q hic utcunq; prospere semper agat, q hic assentationibus hominū tollatur in altū, q non ex merito castigetur, neq; uindicta dei reprimat quando delinquit. Gaudere malo q non uindicta sequatur aut pœna comprimat: ferme est acsi is q meruit suspendium, in aurea cathena pendere desyderet. Quid autē interest, si quis merito suspēdi debeat: hoc an illo modo pendeat? O stolide peccator, o imprudēs homo, quid tua refert, quid prodest uoluptate quauis hic potiri: per quam semper in inferno pendere debeas? Est hæc ira dei magna qua peccator impune uiuit, fœlicitatur, et laudatur in desyderijs animæ suæ. De qua scri-

Psal. 72. bit Dimisit eos secundum desyderia cordis eorum. Ibunt in adin-

Psal. 80. uētionibus suis. Quod idem affirmat Apostolus Tradidit eos de-

Roma. 1. us in desyderia cordis eorum. Magna est hæc ira, qua secundum multitudinem iræ suæ non quærit. Adeo nanq; per indignitatem et abhominationem offensarū excāduit, ut hic punire nolit: ut leuem huius uitæ breuemq; molestiam tollat ab eo, cui longe grauiorem in futuro destinat. Valde ac multū irascitur dominus dū non exquirit, dum non euentilat peccata: dum tanq̄ oblitus cōniuet, tanq̄ oblitus præterit, dū tacet, nec attendit, dū non castigat, non punit. Profecto sic parcendo sæuit, sic tolerando trucidat. Mundus a deo castigatus nō damnatur, incastigatus damnationi subiaceret. Diu relictus in peccatis, diluuio ferme sublatus est. Pars ea mundi quam Sodomitæ occupabant incastigate uiuens, penitus est extincta. Hæc est ipsa dei sæueritas, qua secundū ueritatem et iusticiam punit: qua parcit ad tēpus, ut torqueat æternum. In qua uoce si quæras etymologiam: non absurde sæua ueritas interpretabit. Bonum est ergo et salubre nobis ut hic in nos sæuiat dominus, ut hic castiget: quo subueniat et parcat inposterum.

Etymologia seueritatis

rum. At quibus hic parcitur, in falsa gaudia conijciuntur, arbitrā-
tes deum ulcisci nolle: qui tantum differt ultionem suam, ut forti-
us infligat. Interim tamen ipsi secure uiuunt et animo ocioso, quę
dei sunt non respicientes et in peccatis offirmati: quos propheta,
dei uocat inijmicos. Et quia dei inijmicos, suos item intelligit,
A. hosq; fœlices ac firmatos in peccato uidet: super se confirmatos
exclamat, Confirmati sunt (inquit) super me. Pertinaces et ob- Littera.
durati peccatis, me pœnitentem, sponte confitentem, sponte ge-
mentem ac lugentem pro delictis irrident. Aduersum me sese pa-
rant atq; armant, me totis uiribus incessunt, in me sua spicula de-
figunt. Viri boni sicubi ceciderint aut alios in peccata cadere ui- Boni/ et sua et aliena plangunt peccata.
derint: dolent admodum, festinant ad emendationem sui, ad re-
medium atq; adiutorium aliorum properant: peccantes exemplo
reuocant, errantes docent, et consilijs obedire uolentes instruūt.
Hij pacifici sunt, quos Euangelista beatos appellari notat: ut qui
primo pacem continuam in cordibus suis gestant, mox inter alios
componunt. Idem tamen a malis istis obstinatis agitantur, irri- Mali bonos contumelijs afficiunt.
dentur, habenť odio: maledictis, iniurijs et contumelijs sæpissi-
me subuertuntur. Non amat pestilens eum qui corripit, nec ad sa- Prou.15.
pientes graditur. Cor sapientum quærit doctrinam: os stultorū
pascitur imperitia. Verum pœnitentes illi boniq; uiri plene gau-
deant, quoties in tales uitæ suæ derisores incidunt: cum non sit
argumentum luculentius q ambulent in uia dei, q̄ si contemnanť
et præmordeantur a mundanis istis, peruersis et malignis homi-
nibus: q̄ si stulti uocentur ab hijs et idiotæ. Istiusmodi nempe
stulti cœlum rapiunt: dum sapientes illi merguntur ad infernū.
De hijs stultis intelligit id euangelij Regnum cœlorum uim pa- Math. 11.
titur, et uiolenti rapiunt illud, Et illud Apostoli Stulticia mundi 1. Cori. 1.
huius, sapientia est apud deum. Stulta et contemptibilia huius 1. Cori. 4.
mundi elegit deus ut confundat sapientes. Nos (inquit Aposto-
lus) Stulti facti sumus propter CHRISTVM: cuius crucem 1. Corin. 1.
portantes prædicamus, et ea Iudæis scandalum est, stulticia gen-
tibus. Propterea stulti reputati sumus ab impijs et malignis ho-
minibus

minibus ꝙ imitemur CHRISTVM crucifixum, ꝙ ipsam crucem CHRISTI portemus, ꝙ corpora nostra pœnitentiæ cruciatuiq; subdamus, ꝙ crucifigamus ac mortificemus nosmetipsos et membra nostra. Bene sancteq; uiuere stulticiam arbitrantur: uiuere in CHRISTO credunt insipientiam, peccata eleemosynis et benefactis alijs redimere stulticiam putant et insaniam. O mundanam cæcitatem, In tenebris ambulant, et nesciunt quid faciunt. Nam quia non cognouit mundus deum per sapientiam suam: placuit deo per stulticiam istã crucis et prædicationis eius, saluos facere credentes. Vnde deo perplacent quotquot eius amore pœnas et opprobria sustinent, intractiq; peruadunt. Mundo tamen ijdem interea sunt ludibrio: de quibus et id ait Apostolus Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, et hominibus. Currit mundus ad spectandum uelut monstra quæ miretur et derideat, ut improbet, ut tanq̃ stultis et hypocritis insultet: assunt Angeli qui solentur et fortes efficiant, homines boni presto sunt ut iuuẽt, laudent et magnificent. Bonis insuper huiusmodi uiris deiectionem omnem, uilitatem, et molestiam inter mundanos hos homines cõtingere notans Apl'us addit Nos tanq̃ purgamenta huius mundi facti sumus, omniũ peripsema usq; adhuc Nos inter mũdanos istos (inquit) pro uilissimis et abiectissimis habemur, ut res nullius ponderis aut momenti repellimur. Non pluris ipsi nos æstimamur, q̃ puluis qui de domo uerritur in angulum abijcitur situq; consumitur, aut in sterquilinium usq; iacitur: nõ pluris q̃ peripsema q̃ uilissima unguium resegmina. Iusti simplicitas ubiq; deridetur, inquit Iob. Quid ergo? Nunquid hæc quæ cõtingunt incommoda, nos deterrebunt a CHRISTO? Contra monet Apostolus Imitatores (inquiens) mei estote sicut et ego Christi. Libenter ego cũcta pro CHRISTO passus sum: similiter et uos eius amore sustinete. Sed quid illis bonorum hominũ irrisoribus, quid indignantibus, maledicis et iniuriosis contemptoribus eueniet? Venient dies quando iusti stabunt aduersus eos in magna constantia Et uidentes turbabuntur horrore terribili, &

mirabũt

Psal. 81. Luce. 23. 1. Cori. 4. Expo. Sancti viri tanq̃ purgamenta sunt mundi. Ibidem. Iob. 12. Expo. 1. Cori. 4.

, mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angu-
, stia spiritus et dicentes Hij sunt quos aliquando habuimus in de-
, risum, quorum uitam æstimabamus insaniam, et finem illorũ sine
, honore. Et ecce quomodo inter filios dei computati sunt, et inter
, sanctos sors illorum est. Errauimus ergo, et sol intelligentiæ non
, est ortus nobis Lassati sumus in uia iniquitatis et perditionis,
, uiam autem domini ignorauimus, Quid nobis profuit superbia
, nostra, quid diuitiarum iactantia? Transierunt omnia uelut um-
B. bra. Talia dixerunt hij in inferno, qui peccauerunt: iusti autem imperpetuum uiuent, et apud dominum est merces eorum. Cupiens itaq; iust⁹ propheta tales in hac uita corrigi, uixq; ferre potens illorũ aspectum, inquit Confirmati sunt aduersum me Et multiplicati sunt qui oderũt me inique. Crescunt, augescunt, multiplicantur, Mundus scatet iniquis et proteruis hominibus. Stultorũ (ut inquit Sapiens) infinitus est numerus. Numerum sapentum et bonorum hominum, longe excedit numerus impiorum atq; insipientum. Quot ita modo sapiunt ut præcepta dei fideliter obseruent? Vix unus aut alter inuenitur. Quocunq; te uerteris mali frequentes occurrunt, raro bene uiuentes aspicis. Granorum instar habent boni, mali palearum: pauca grana multam habent paleam. Si cum paleis grana mixta compares: paleæ superant, et pauca grana uidentur, per se multa sunt. Tecta paleis obscurantur, uentilata purgataq; se manifestant et numerosa cernuntur. Sic multi (non dubium) uiri boni sunt: sed inter plures malos tanq̃ occultati latent. Intelligentes id a CHRISTO pronunciatum Multi sunt uocati pauci uero electi: dubitare non possum⁹ plures esse malos bonis. Boni tamen multi sunt: sed inter tot malos uix differre uidentur ab eis, sicut grana frumenti quandiu iacent in Area cum paleis et stramentis tam parum absunt ab eis, ut unum et idem esse credantur. Sed quis bonos a malis separat: sicut per trituram et euentilationem grana separantur a paleis? Solus ille cuius uentilabrum in manu ipsius, et permundans areã suam triticum congrebabit in horreum, paleas autem comburet igni in

Ibidem. Littera. Eccle. 1. Domines boni grãis comparãtur, mali paleis. Matth. 20. Matth. 3.

igni inextinguibili. Ille, qui gentes segregat ab seinuicem sicut
Matth.25. pastor oues ab hædis: statuens oues a dextris, hædos autem a si-
nistris. Sed inexpertus quisq́ frustra boues immitti putabit et in-
utiliter in frumenta, quæ triturent. Quod eo tamen fit ut grana
discutiantur a paleis. Interea nihilominus paleæ sua multitudine
Qualit' mali bonos illiciāt. grana premunt, sicut mali bonos infestant. Si nescias, esto bonus
et experieris quod dico. Esto bonus, et quot (oro) dicent tibi
Quare sic agis? cur duriter et parce uiuis? cur aliquid graue pateris
dum molliter agere potes? cur sic ineptis? Tu solus ita facis, so-
lus insanis. Cur non multitudinem potius imitaris? Quare non
eum uultum præstas: non habitū quem multi, sequeris? Si quid
tibi tuis ue male habeat: cur non remedia quæ cæteri, quæris?
Quare non magorum, haruspicū, hariolorum, diuinorum et sa-
garum consulta requiris? Cur nō opem utcunq́ oblatam recipis?
Cur non ditari modis omnibus et prosperari cupis? Sic multitu-
do malorum bonos urget, sic male stimulat, sic premit: ut non
Littera. abs re propheta dixerit Multiplicati sunt, qui oderunt me inique
Multiplicati sunt, succrescunt, mundus hijs redundat. Quod in
Psal.24. alio psalmo idem propheta repetit, clamans ad dominum Respice
Expo. inimicos meos, quoniam multiplicati sunt et odio iniquo oderūt
me. Quid est inique uel iniquo odio oderunt me: nisi q me eos
Iniqui bonos habent odio. diligentem oderint, q beneuolentiæ reposuerint inuidiam, et ma-
lum pro bono reddiderint? Quales Iudæi fuerunt in Christum.
Venit ipse benefacturus eis, docuit errantes, famelicos pauit, cæ-
cos et tenebricosos illuminauit: gressum claudis, surdis auditum,
leprosis mundiciem, cunctis debilibus ac infirmis sanitatem res-
tituit: mortuos suscitauit, innumera miracula perfecit et bona cō-
tulit: et illi ediuerso mala repensabant, adeo diligentem et benefi-
cum oderunt, blasphemabant et ad mortem usq́ persecuti sunt,
mortem extorquebant a conferente uitam. Quid hæc Iudæis im-
pingimus? An eadem nostratibus non conueniunt? Nemo pu-
tet hunc præsentem mundum, hunc ipsum in quo iam uiuimus,
ab illo lōge distare q præcessit. Non longe certe distat in malicia.

Corripe

Corripe male uiuentem, uicium argue, bonum consule, persuade uirtutem, reprehende peccatum: quis te feret? quis non oderit et irridebit obiurgantem suæq; uoluptati renitentem? Ex inuidia te facere dicet, dicet atra te bile laborare: nec posse ferre quæ rectissima sunt. Sic qui bene cupit, conatur et elaborat: solum ob id
C. habetur odio q deũ diligat, uirtutibus adhæreat, mundana simul et carnalia uitet peccataq; corrigat. RETRIBVEBANT (INQVIT) MIHI MALA PRO BONIS, detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem. Referre gratias, bonumq; pro bono reddere, bonum est et ex se cõmendabile. Nam hæc ipsius naturæ lex est, procedens ex æquitate: de qua scribitur Ego diligẽtes me diligo. Reddere pro malo bonum melius, immo de se quid optimum est. Quoniam hæc est ipsa lex dei, prodiens e radice charitatis: de qua CHRISTVS apud Matthæũ Diligite inijmicos uestros, benefacite hijs qui oderunt uos, orate pro persequẽtibus et calumniãtibus uos. Mala pro malis reddere perniciosum et detestabile est. Quæ lex carnis est et iniquitas, manans e fomite peccati: contra quam monet Apostolus Nulli malum pro malo reddetis, prouidentes bona non tantum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Malum deniq; pro bono reddere pessimum est, et uere diabolicum. Quãdoquidem lex illa diaboli, de peruersitate proficiscens et malitia: pro qua facit illud psalmistæ Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Dicit ergo propheta Retribuebant mihi mala pro bonis: notans impietatem et ingratitudinem inijmicorum seu malorum hominum in mundo uiuentium, qui maligne bonis ac pœnitẽtibus insidiantur, uolentes eis (quoad possunt) ubiq; nocere: bene uiuentibus in exempla cæterorum, obloquuntur et resistunt, aliorumq; benefacta minuunt atq; irrident, ut opera sua propriaq; facta qualiacunq; glorificent et augmentent. Ille malum pro bono retribuit hominibus, qui pro beneficio accepto reddit damnum ac maleficium: qui cui dare debet ab eo diripit, qui odium pro charitate, pro benignitate reponit inuidiã, qui huma-

Marginalia: 21. Versus. — Quadruplex int' homines redditio. — Prou. 8. — Matth. 5. — Roma. 12. — Hiere. 18. — Littera. — Qui mala p bonis reddũt

qui humanitatem rusticitate compensat. Deo malum pro bono reddit qui relicta uirtute, uicia consectatur: qui cum lectionibus, orationibus, et reliquis bonis operibus insisteret, fabellis anilib9 aut nugis alijs tempora sumit: qui cū uiseret ædem sacram et humiliter deum ac diuos salutare deberet, mauult in taberna desidēs in lusorijs cartis, oscillis et alea, pias horas impie conterere: mauult ad illicita currere spectacula, turpia frequentare ludicra, q̄ uel precari uel pijs interesse precibus: q̄ delubra simulachraq; diuorum, q̄ crucifixum, q̄ mariadium, q̄ sacrosanctam eucharistiam suppliciter aspectare: qui cum elecmosynis et pijs operibus peccata redimeret, studet iniurijs et maledictis cumulare. Reddit mala pro bonis pro luce tenebras, qui pro castitate quam deus expetit, luxuriam: pro sobrietate ac modestia ebrietatem atq; intemperantiam: pro liberalitate ac eleemosyna rapinam et contemptū, pro iusticia iniquitatē, pro humilitate superbiam retribuit. Econtrario, si quis se sentiens ægrotum, se hijs malis obnoxium intelligens, ad medicamenta currat: recurrat ad pœnitentiam, conuolet ad CHRISTVM: si uicio remedium inquirat, si priusq̄ anima sua tenebricosa de corpore migret, eleemosynis, ieiunijs et orationibus peccata redimat: si se deo dedicet, pœnitentiæ mancipet, uirtutibus et sanctitati studeat: retrahitur, impeditur, ac læditur a carnalibus, a mundanis hominibus irridetur. Si simplicitati se dedat ac humilitati, morrio fit atq; idiota: si charitati, clæmentiæ, facilitatiq; morum: meticulosus, pusillanimis, excors et insensatus apppellatur. Non hominem esse dicent sed bestiolam, sed ouiculam: nec audere inter homines faciem ostendere, nō hominum uultus intueri. Si contemplationi quis insistat, deuotioni aduigilet: si uacet orationi, ieiunio et sanctitati uitæ: uocatur hypocrita papisticæq; sanctitatis (ut aiunt) imitator ineptus. Si liberalis, misericors et necessitudinum adiutor extiterit: communi sensu plane caret, inquiunt. Poterat hoc quod effusum est, dispendi multo melius in agris comparandis: in commercijs et contractibus. Si religionem quis ingrediatur, mundi simpliciū & stolidorū

Bonorū benefacta ridēt a malis.

ſtolidorum unus appellitatᷓ: ut qui ſecluſa uoluptate ſua, ſoli deo per ardua queq; ſeruiens adhæreat. Si quis piorum in peccata dicat, ſi corripiat, obiurget et reclamet: ſi uicia domare contendat quæ mundum obruunt, ſacrilegum et hoſtem reipublicæ clamitabant, Crucifige, crucifige eum, inquiunt, Non eſt amicus orbis, inijmicus reip. De quibus appoſitiſſime propheta ſubdit Detrahebant mihi, quia ſequebar bonitatem. Quæ maior detractio uel manifeſtior, q̃ hæc quæ maledicendo uirtutibus obſtat: quæ uirtutes in uicia uertit, quæ malum dicit eſſe bonum et tenebras lucem? Nos (inquit Horatius) uirtutes ipſas inuertimus, et ſyncerum cupimus uas incruſtare. Qui uir probus eſt, tardum, pinguem et demiſſum: qui parcus, auarum: qui concinnus amicis, iactuoſum: qui fortis, truculentum: qui ſimplex, inſipientem eſſe dicunt. O maledictos homines, nonne de uobis ueriſſime Paulus inſit Detractores deo odibiles? Neq; deus immerito detractores odit, qui ſibi ſunt iniurij. Auferunt enim ab eo, quod ipſius eſt. Nempe debetur uni deo iudicare, factaq; hominum publicare: quod in extremo iudicio perimplebit. Vnde talibus inijmicis ſuis ait patriarcha Iob Quare perſequimini me ſicut deus? Quare præiudicando condemnandoq; uitam meam, quod dei ſolius eſt uobis arrogatis? Nam qui me iudicat (inquit Apoſtolus) dominus eſt. Nolite itaq; ante tempus iudicare, quouſq; ueniat dominus, qui et illuminabit abſcondita tenebrarum et manifeſtabit cõſilia cordium. Et CHRISTVS Nolite iudicare (ait) et non iudicabimini, nolite condemnare et nõ condemnabimini: de ſuſpicionibus iſtis et præmaturis atq; peruerſis hominum iudicijs intelligens, qui in perſcrutandis et notandis uicijs aliorum aquilini ſunt, in ſuis talpæ: quiq; uicia fingunt ubi non ſunt, aut quæ ſunt incerta pro certis efferunt, bonorum famæ nocẽt et iniuriam illis omni modo inferũt. Et quare carnibus meis ſaturamini, dicit eiſdem idem Iob? Quod exponens Gregorius in Moralibus ait Saturatur humanis carnibus, qui delectabiliter morſibus ac detractionibus alienæ uitæ paſcitur. Væ detractoribus iſtiuſmodi, qui

Littera. Horatius. D. Roma. 1. Iob. 19. Expo. 1. Cori. 4. Luce. 6. Iob. 19. Gregori.

 parũ ab-

parum absunt ab homicidis: ne dicam illis deteriores esse, quia scribitur Qui occidit et qui detrahit, pariter homicida est: ille corporis, iste animæ. Iam quanto est anima corpore præstantior: tanto detractor uidetur homicida pestilentior. Etiam qui corpus occidit, solū id attingit: at qui famam præclarissimam illam animæ dotem interimit, tres uno ictu simul enecat: se, proximū, et alacrē auscultatorem. Se necat, ut qui non solum mortaliter inde peccat (quæ grauissima mors est) sed pœna quoq; temporali plærunq; castigatur, aliquando morte corporis. Maria nanq; soror Aaronis et Mosi leprosa facta est, q fratri detraxisset propter uxorem eius Ethiopissam, quam duxerat. Chore Dathan et Abyron uolentes summum sacerdotium ab eo detrahendo tollere, cui deus ante dederat: telluris hiatu uorati sunt. Proximum occidit detractor, cuius bonum nomen et famam extinguit aut derogat: quæ preciosior auro est, omnibusq; lapillis. Quod et Sapiens affirmat Melius est (inquiens) bonum nomen, q̄ diuitiæ multæ. Nullus ergo putet detractionem esse leue crimen et tolerabile, q solo uerbo pficiatur: quæ tam preciosum thesaurum eripit, quæ famam denigrat, et rectam intentionē ubiq; subuertit. Venenosum illud uerbum est, uirulentam infectionem habet et maliciam: quæ corrūpens interficit: si non omnino corpus, at animam corpore meliorem. Per bonam nanq; famam homo uiuit ciuiliter: et per infamiam ciuiliter interit. Mortuus est enim infamis in politia humana: cum contemptibilis et abiectus habeatur omnibus. Sicut qui bonæ famæ præclariq; nominis est, amatur et magnifit ab omnibus: sic ignominiosus omnino uilipenditur. Quantum ergo maligni sunt, qui famam illam obloquēdo deturpāt? Lingua eorū gladius acutus ait ppheta noster. Gladius anceps est, cuius ictum nescias qualiter euites. Lingua biceps immo triceps est, quæ tres simul (uti diximus) hostiliter inuadit. Lingua detractorum asperior est illa lancea, qua corpus domini sub mortem est perfossum. Fodit ista CHRISTVM mortuum in patibulo pendentem, illa uiuētem in thronoq; sedētem: ista fodit corpus Christi mysticū, fodit

De pœnitētia dis. 1. Homicidarum.

Detractor tres simul occidit.

Nume. 12.

Nume. 16.

Prou. 22.

Psal. 56.

Expo.

eū a quo

, eum a quo, ad quem, et contra quem tenditur. Necat enim et eũ
, qui libenter audit. Nam detrahere aut detrahentem audire utrũ Bernard⁹.
horum damnabilius non facile dixerim, ait mellifluus Bernardus.
Itaq; caueat unusquisq;, ut nec linguam nec aures habeat prurien-
E. tes: ut nec alijs ipse detrahat, neq; detrahentes alios auscultet.
, Quandoquidem nemo libẽter inuitis auditoribus ulla refert. Fi- 2. Reg. 10.
, gurantur hij detractores impij non absurde per ammonitas iniu-
, stos, ad quorum consolationem in morte patris, suos Dauid misit
, oratores: quorum illi uestes ad nates usq; ridiculose disciderunt,
, barbæq; dimidium abraserunt: falso credentes q ad explorãdam
, terram subintrassent. Sed Dauid probrosas horum iniurias ultu-
, rus, misso Ioab cum exercitu, ciuitatem cæpit, expugnauit, et de-
, leuit. Hij nuncij prædicatores sunt et omnes indiscriminatim bo-
ni consultores: qui diuini spiritus instinctu, mittuntur ad solatiũ
peccatorum in extirpandis uicijs sæminandisq; uirtutibus: quib⁹
illi dimidium barbæ radunt quoties opera ipsorum bona, detra-
hendo minuunt et obscurant: uestes autem usq; ad nates abscin-
dunt, quando uitam et conuersationem eorum turpissime propa-
lando contaminant, et uicia (si qua habeant) iniustissime manifes-
tant, si non habeant iniuriosissime confingunt. Quot (oro) castis- Quot incõmoda detractionẽ insequũtur.
simi uiri, quot pudicissimæ uirgines, quot modestissimæ uiduæ,
quot honestissimæ matronæ per hanc detractionem pro fornica-
rijs, adulteris, sacrilegis et incestis habiti sunt? Quot continentes
existimati sunt incontinentes, quot iusti homines iniusti, crude-
les et tyranni? Quot pij pœnitentes, hypocritæ: quot sobrij, intẽ-
perãtes atq; ebrij: quot boni deniq;, mali iudicati sunt? O linguæ
detrahentis perniciem, quæ dum cœlum ac paradisum euacuat,
mundum etiam undiq; perturbat: discordias serit, cõuicia nutrit,
, lites alit, homines uarijs modis in peccata cadere facit. Væ mun- Matth. 18.
, do ab scandalis, necesse est ut ueniant (inquit CHRISTVS)
, scandala. Verumtamen uæ homini illi, per quem ueniunt. Licet
omnes utcunq; detractores deo sint odibiles: maxime tamen illi
sunt, qui propter id tantũ odio ꝓsequũtur hominem q in eo san-

ctitatem, iusticiam, pietatem, religionem, sobrietatem, et uirtu-
Prou.14. tes alias perspiciant: de quibus Sapiens illud affirmat Ambulans, recto itinere et timens deum, despicitur ab eo, qui infami graditur, uia. Vita pœnitentium et religio bonorum, abhominationem, parit in animo peccatorum. Rem stultissimam arbitrantur isti, quando fideles ultro propter deum aduersa sustinent: irridēt eos qui corpus hic atterunt et occidunt, qui perdunt hic animam ut apud deum inueniant. Quam ob rem aliam sic mali bonos insectantur et detrectant, nisi ꝙ uita sint dissimiles? Humiles isti, supplices, ac mites: illi arrogantes, elati, superbi: isti patientes, modesti, faciles et humani: illi iracundi, inuidi, maliciosi: illi pigri, segnes, atq; ociosi: isti propēsi semper et parati ad omne bonum: illi gulosi, uoraces, et crapulis assueti: isti ieiuni, abstemij, et redigentes corpus in seruitutem parcitate ciborum: illi peculatores, imperiosi, direptores, et iniuriosi: isti liberales, benigni, charitate pleni: illi luxuriosi, uoluptarij, fœdi, et carnis operibus inuoluti: isti puræ, mundæ, castæq; conuersationis: illi sordidis, detestandis diabolicisq; moribus obscuri: isti sancta, sancta quidē et angelica cœlestiq; uita splendidi. Ecce miram uitæ diuersitatē et oppositionē morum. Et sicut similitudo morū causa est mutui amoris: sic odij dissimilitudo. Similitudinem hanc, causam amoris et amiciciæ philosophus approbat dicens Similitudo est causa amoris, et nos idipsum experimur. Licet uultu formaq; dissimiles duo sint, si moribus tamen et uirtute pares extiterint: ea similitudo facile conciliat amiciciam. Sic pater filium sui similem chariorē habet. Et magis quis arguitur filius alterius ex imitatione morū q̄ ex formæ paritate, unde naturalis inter eos amor paritur. Decentius est ut uirtus patris in filio reluceat q̄ figura, q̄q̄ et ipsa similitudo naturæ multum sæpe faciat et conducat in amore adiungendo: quod omne genus animalium cogit in gregem atq; armentū, et passim sibi sociari. Inter omnia siquidē animantia simile diligit et sequitur sui simile. Pares itaq; cum paribus facile congregantr, cum senibus senes, pueri cum pueris: cum uiciosis uiciosi, cū studiosis uir-

Similitudo causa amiciciæ, dissimilitudo odij.

F.

Ethico. 8.

dioſis uirtute prædití. Non poſſunt impares animis, non poſſunt cito coniungi: ſin quo pacto forte coniungantur, illico reſcinditur ille nodus amoris, per inijmicicias ſtatim obortas. Vbi duo ſunt diſpares et diſtincti moribus, nuſq̄ amoris uinculo connectuntur nunq̄ conueniunt, nūq̄ concordes eſſe ſolent, aut inuicē bene ſibi dicunt. Qui miſeri ſunt, qui peccatores, et uicioſi: non poſſunt amicitiæ uerba bonis et uirtute præditis impartiri. Quid (oro) in cauſa eſt, niſi ꝙ mores habeāt diuerſos, uariamqꝫ uiuendi rationē? Non poteſt igitur diu bene uel dicere uel facere malus bono, propter hanc uiuendi diſſimilitudinem: de qua propheta querelam hanc inſtituit Retribuebant mihi mala pro bonis, quoniam ſequebar bonitatem. O factum improbum, multo tamen cauſam improbiorem. Iniuſtum eſt ut benefactis malefacta reſpondeāt, multo iniuſtius ut quem beneficum ideo proſequaris odio ꝙ uir bonus extiterit. Atqui talem infert cauſam hic propheta Propterea me perſequūtur inquiens, propterea detrectant, irrident, oderunt et de me ſcandalum inducunt: ꝙ ſecutus ſum bonitatē, uirtutem, et uitæ ſanctitatem. Ita fere fit ut corpus animā, caro ſpiritum, diabolus deū impugnet: ut mundani ſpiritualiter ac cœlitus uitam actitantes, peccatores bene beateqꝫ uiuentes, uicioſi ſtudioſos, mali bonos internicino atqꝫ indeſinente perſequantur odio. Quam enim aliam odij cauſam uel effingas, niſi ꝙ uir bonus ad uirtutem, malus ad uitium anhelet: et inter tales et tam male concordes inita ſocietas non bene coeat, citoqꝫ diſſiliat? Sed qualis et quāta (precor) hæc cauſa eſt? an aliter habens q̄ ꝓpheta ipſe fatetur Sine cauſa quæſierunt animam meam, et non propoſuerunt deum in conſpectu ſuo? Dum ego in uia uirtutis ſub deo perſiſtere conor et eos ad eandem introducere, nō illis anſam porrigo per quam inuidioſe mihi repugnent: non porrectam tamen arripiūt ipſi: quicquid habeo boni, quicquid ſacri propoſiti, quicquid in hoc mundo quietis ac fœlicitatis, euertere cupientes: qui coram deo nihil ualent, nec obeſſe poſſunt. Et enim ipſe iuſtus iudex, omnia uidens, rectiſſimeqꝫ perficiens, reddens unicuiqꝫ

Littera.

Impii pro beneficiis malefacta rependunt

Pſal. 53.

Expo.

 quod ſuū

2.Corin.5. quod suum est, referens gratiam ex merito. Reddet unicuiq; iuxta opera sua, prout gessit in corpore siue bonum siue malum, inquit Apostolus. Iam hoc illi non animaduertunt, non ponūt deū ante oculos, iusticiam eius non perpendūt: q̄ certum sit eius uindictam peccatoribus accessuram, q̄ certum omnes uocandos ad iudiciū, accersendos ad reddendam uitæ rationem: non consyderant, non præmeditantur quemadmodum deus peccatores tortoribus tradet, et ipsi conijcientur in carcerem unde non exibunt

Matth.5. donec reddant extremum quadrantem. Sic negligentes et cæci peccatores ad deum non aduertunt, diabolum memoria non te-

Psal.53. nent, cœli pariter atq; inferni curam abijciunt, Non proponunt deum in conspectu suo. Sed propheta fidelis dei seruus et uere pœnitens in dominoq; confidens relictis hominum erroribus, repulsis uijs impiorum: confugit ad auxilium dei, ad dei præsidium, ut illinc accipiat quod de se minus possit, inquiens G.

22.Versus. NE DERELINQVAS ME DOMINE DEVS MEVS, ne discesseris a me. Intende in adiutorium meum domine deus salutis meæ. Qualitercunq; se peccatores excipiant aut contra se hostes insurgant, qualiacunq; tela proijciant, quomodocūq; molestent, quicquid sors tulerit: non adeo propheta curat modo deus adiuuare non desistat. Ad illud auxilium conuolat: auxiliū petit, orat, implorat: sine quo se nihil boni facere, a nullis malis cauere posse uerissime putat. Infirmitatem propriam agnoscens, in auxilium dei certissimū se recipit: ne per tot et tam infestos peccatores usq̄ labascat aut deficiat. Agit quod solet in periculo grauiter ægrotans. Hic dum sibi timet, medicum exorat: ne recedat neu se derelinquat, ut soletur sua saltem præsentia: rogat ut in salutem suam attendat, ut sanitati restituat et corroboret. Sic magnum medicum deum propheta deprecatur, ne se deserat: ut se cōsoletur, ut præsentia gratiæ suæ firmet et consolidet: ut ab ægritudine peccati liberans, in salute spiritus constabiliat: ita pronuncians

Littera. Ne derelinquas me domine deus meus. Domine deus quem timeo, cui seruio: sed et meus quem amo, quē ueneror atq; colo:

ne derelin-

ne derelinquas me subtrahendo mihi gratiæ tuæ præsidiũ, ne derelinquas me propriæ fragilitati: quia mihi relictus, uim tentationis ferre aut peccato resistere non potero. Tu mihi semper adesto sine quo quæ bona sunt facere nequeo, perire necesse habeo. Ne derelinquas ergo me clientulum tuũ, sed assis ubiq; supplici filiolo. Nõ est ut nos nobis relinquas, ut nos ad uirtutẽ nostrã remittas,
, Non sumus enim (ut iquit Apostolus) sufficiẽtes cogitare aliquid 1.Corin.3.
, a nobis quasi ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex deo est. Ideo tu me domine deus ne derelinquas. Derelinquit eos deus, quos non tuetur, quos non liberat a pœnis ac periculis. Sic
, et filium dereliquit in cruce clamitantem Deus deus meus quare Psal.21.
, me dereliquisti? ac si diceret, quare pœnis hijs maximis tanq̃ derelictum exposuisti pro peccatis hominum, nec me iuuas? Sic filio proprio non pepercerit, sed pro delictis nostris ita dereliquerit: cur non multo magis pro peccatis proprijs nos eodem modo derelinquat? Non ergo rogat propheta ne deus ita se derelinquat, non rogat ut hic pro peccatis supplicio non subijciat: sed potius ut ipsius potentia defendat, singularis gratia a peccato resurgat. Necessarium est enim, necessariũ ut qui peccat ita derelinquatur a deo, ut pœnis interdum corporis afficiat, ut hic aliquid duri sustineat: quo conuersus ad deum facilius ueniam impetret, quo deum magis timeat et amet intimius, seipsum clarius introspiciat, et æternam deniq; pœnam euadat. Multos isto modo relinquit

Quomodo de9 suos quãdoq; derelinquat.

, deus, non derelictus ab eis. Sic dereliquit seruũ suum iustissimũ Iob.1.
, Iob, quem grauissimis huius sæculi tormentis et aduersitatibus
, Sathani permisit affligendum: pecora rapi, supellectilem auferri,
, domos euerti, liberos extigui, corpus omnifario dolore uexari p
, misit, animam solam inter hæc omnia tutatus: nec interim ipse
, per impatientiam læsit innocentiam. Alio modo deus peccatores
H. derelinquit, quibus gratiam suam subtrahit, et eos tradit in desyderia cordis sui, uitæq; suæ modum permittens iuuamine priuat. Sic neminem derelinquit, nisi derelictus ab eo. Sicq; propheta ro-
, gat ne se deus derelinquat. Sic Saulem dereliquit, de quo legit̃ q 1. Reg.16.

Quomodo deus nõ suos derelinquat.

Dauida timuit eo quod dominus esset cum illo, et a se recessisset. Sæpe tamen quos deus ita derelinquit, non imperpetuum abijcit: sed sicut mater filium tenerum modice dimittit ut probet an stare et incedere possit, et si non adhuc possit ipsa doceat, non recedens ab eo sed prope consistens ut si labi seu titubare cœperit, manum auxiliatricem statim apponat: ita deus tentationibus et aduersitatibus hominem sibi charum aliquando tangit, aliquando in peccatum cadere permittit, non ut frangat eum aut deijciat: sed ut fortiorem

Esai. 54. ad standum efficiat. Ad punctum (inquit) in modico reliqui te. Sed attende quod sequitur Misericordia mea non recedet a te. Sic uero medicus parumper crapulari permittit ægrotum, ut inde paululum inquietetur: et proinde caueat, seque diligentius obseruet, ne postea multo deterius habeat. Quod hic gerit circa corpus: in animo sæpe CHRISTVS ostendit. Petrum cadere permisit: quem resurgentem multo fortiorem inuenit. Animosus il-

Matth. 26. le fretus uiribus suis Si oportuerit (inquit) me mori tecum, non te negabo. Hic oblitus erat gratiæ, sine qua poterat minus nihilo: quod paulomox ab audacula temerariaque promissione patuit. Nam qui nunquam se relinquere aut negare uelle fere deierabat: postmodum ad interrogationem unius Ancillæ denegauit. O Petre ubi tum promissio tua? ubi tam præsens animus et feruor audaciæ, qua te morititurum ante quam negaturum affirmabas? O Petre, mors non aderat, non mors instabat, non urgebant minæ, non terror impellebat: et ad infimæ tamen ancillulæ uocem unicam CHRISTVM pernegasti cum mira detestatione. Quare o Petre, Petre quare sic fecisti? Certe quia ex teipso putaras te posse perficere quod promiseras. Non dubium quin quod homo præstare potest, bene cogitaris erga dominum. Sed homo nihil potest extra gratiam: quam tu tuæ solum fortitudini confisus, non attente respiciebas. Vt ergo cautius postea respiceres, et cæteri per te respicere discerent: per subtractionem eius, ita te ruere permisit. Multi siquidem non minus temerarij, multum sibi suisque uiribus attribuunt, arbitrio suo se regi posse putant: ut quamuis corruptam etiã

tam etiam ſocietatem illæſi frequentent, ut quolibet ſe tuti recipi-
ant, ut ſecuri quiduis agant. At hij ſibi tanto magis cauere ha-
, bent, audituri quod ſcribitur Spiritus promptus eſt, caro autem Ibidem.
infirma. Si boni perfectiq; ſint, non eſt oſcitanter in eam perfec-
tionem et ſecure recumbendum. Semper enim habent in hac ui-
ta quo creſcant. Qui non creſcant indies: plane corruent. Nam
diabolus et damnata cohors, mille per mæandros circuit: tam in-
ſidioſe, tam robuſte peccata ſuggerens, et caro tam inualida quæ
reſiſtat, tam inconſtans, tam fragilis et lubrica: ut ſine præſtanti
gratia nemo præualere poſſit. Prius igitur imploranda dei gratia,
poſtea quicquid poſſe datur actitandum: citra tamen confidenti-
am in uiribus proprijs collocandam. Hac impia fiducia, hac uir-
I. tutis ſuæ præſumptione, Anachoritæ multi, heremitæ, monachi,
fratres, canonici, ſacerdotes, atq; ipſi etiam laici, religionis ſuæ
ſæpius uincula ſoluunt, et prorumpunt in uicia profeſſioni con-
traria: uiolant catholicam fidem, charitatis opera prætereunt, in-
tegritatem uitæ non ſeruant, et in abhominationem irruunt.
Quorum omniũ præcipua aut ſola cauſa eſt ſui præſumptio, quã
ſequitur diuinæ gratiæ ſubtractio: poſt quam, ſubito labunť ho-
mines: ſubito pereunt, in ſentinam peccaminum ſubito corruũt.
Quamobrem o tu religioſe te intra clauſtri tui ſepta teneto, ędem
frequenter inuiſe, precare, lege, concine, contemplare: comeden-
di ac dormiendi tempus et locum obſerua, præfer religionis inte-
gritatem: conſuetudines approbatas, obſeruationes aſſuetas dig-
naſq; ceremonias, tanq̃ ipſa præcepta colito: puritatem animæ,
mundiciem corporis atq; caſtitatem, honeſtatem et decorem om-
nium quæ tractas ubiq; retineto: ſpontaneam obedientiam, hu-
militatem ultroneam, et uoluntariam paupertatem reuerenter im-
pleto. Et cum hæc omnia plene feceris, tibi tuæ ue perfectioni ni-
hil attribue: ſed authori deo gratias age. Tuq; ſacerdos religio- Officium ſacerdotale.
nis etiam tuæ præcepta ſeruato, ſacerdotali dignitati male uiuen-
do caue teuebras offundas: fac quod intereſt tua, templum exco-
lito, domum, cubiculum ſic ornato quo te magis illic eſſe delectet

q̃ foris,

q̃ foris: uaca lris, sacris impallesce: ut multis docendo, prodesse possis: beneq; et perite obsecrando, et(ubi res poscit)increpando. Vigilanter attende quomodo sacramenta recte dispenses et reuerenter administres, præsertim illud sacrosanctũ et horrendũ sacramentũ sacramentorũ, sacramẽtũ Eucharistiæ: ad quod uide nunq̃ nisi defecatus, nisi purus et innocens accedas: ne si sumas indigne, reus peragaris corporis et sanguinis IESV CHRISTI. Sacramentum pœnitentiæ diligenter exequere per prudentẽ et solidam confessionum auditionem, studiose pertrectans quomodo soluas, quomodo purges, ungas, quomodo laues et emundes, an secare aut urere sit necesse: quomodo lancines ulcera mẽtis suppurataq; discutias, cerata refocilles: quomodo molliter attingas, uoluas, liges et inuoluas: quomodo synceriter et integre sanes. Hæc ars tua est o sacerdos, hæc tua chyrurgia, hæc animæ medicina, medicina peccaminum. Hæc est ars artium, ars summæ difficultatis plurimiq; periculi, siq; modo debito pertrectetur, ipsa plane ars summi præmij: ad quam non est admittendus, nisi qui perfecte studuerit pleneq; prædidicerit: nec in ea quisq̃ operari debet, nisi scite possit et perite. Quare o sacerdos, sacerdos si te sentias imminute doctum, si paulo imperitiorem, ad hoc officium ne accesseris: ne te ingeras ad id præstandum, quod rite præstare non potes. Multo satius est, multo satius, abstineas: q̃ non recte perficias ad quod accedis. Aliorum iudicijs te cognosce prius idoneũ, q̃ hanc rem tam solennem curamq; tam celebrem assumas. Siq; multi prudentes te dignum prædicent, si te norint idoneum: nihilominus hoc negotium adito caute, reuerenter et cum timore. Deum ores ut influat tibi gratiam prudenter audiendi, morbos animæ recte discernendi, tangendi, contrectandi, bene consulendi, bene curandi, bene et salubriter absoluendi, cæteraq; cuncta ad officiũ istud spectantia bene riteq; complendi. Si non sis aptus ad hanc tam arduam pronuiciam, et sacerdos extiteris: est tamẽ quod interim agas, in quo sacerdotis dignitatem nõ obscures sed religionem obserues. Ecclesiam frequenta, frequenter ora: probe, frugaliter, et

galiter, et modeste uiuas. Simul interea stude, quam potes operã omnem impende litteris: ut in eis etiam minister idoneus tãdem euadas: solum uirtutis et sanctitatis exemplum offer intuentib⁹, offer hostias, offer holocausta et sacrificia ꝓ tuis et ppli peccatis.
K. Hoc ipsum sacerdotis, hoc pontificis officium est, etiam Apostolo teste. Omnis (inquit ipse) pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in hijs quæ sunt ad deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit hijs qui ignorant et errant: quoniã et ipse circundatus est infirmitate, et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Pronuncians ex hominibus assumptum, optimum quemq; significat semper eligendum: qui scientia cæteros antecellat, qui moribus eniteat, et ad se colendum uirtutibus alliciat. Nec suis commoditatibus, emolumentis, aut honoribus: sed saluti subditorum aduigilabit. Vnde subdit pro hominibus constitutum. Constituitur ad commodum et salutem aliorum, non ad mundi gloriam et honorem suum, non ad parandas sibi suisq; diuitias, nõ ad sublimandos consanguineos aut ditandos affines, non ad exercenda quæcunq; officia sæcularia, sicut alibi quoq; dicit Arma nostra nõ sunt carnalia: et hic subiungens affirmat Cõstitutum in hijs quæ sunt ad deum. Constituitur ergo pro hominibus ut ubiq; prosit eis, ut prosit in spiritualibus, in hijs quæ spectant ad deum et diuina, in hijs quæ spectant ad animæ salutem: quæ uero necessaria sunt in temporalibus ab eis iure recepturus, ni malit cum Apostolo sua sibi manu laboreq; parare, ne in ullo gloriam euacuet euangelij. Sed quænam sunt illa ad deum pertinentia, in quorum administrationem instituitur? Subijciẽs ostendit Vt offerat dona et sacrificia pro peccatis. Actus sacerdotis quem deo populoq; dei debet, est orare et offerre. Constituitur ut oret, ut obsecret, et sacrificet pro peccatis populo remittendis: et ob id quasi mediator quidam et intercessor fit inter deum atq; hominem, ut inter eos in omni causa quę tangit animam et spiritum intercurrat. In quo negotio nulla sæuiciæ, nulla austeritatis spe-

Hebræ. 5.
Expo.
2. Cori. 10.
Hebræ. 5.
2. Thess. 3. et. 1. Cor. 9.
Hebræ. 5.

ritatis species apparebit: sed facilis, sed pius et misericors esse debet, paratus semper, semp paratus ad parcendum delinquentibus: ut et Apostolus in hijs quæ subduntur, admonet. Qui condolere possit (inquiens) hijs qui ignorant et errant. Promptus erit ad compatiendum omnibus, deflere debet peccata hominum non rigide exprobrare, leniter attingere non uiolentet extirpare, dolere magis q̃ imputare: nec ullam damnationis aut sæueræ correctionis sententiam præcipitabit: sed difficulter tantum et mature feret, consyderans seipsum ne et ipse tentetur. Circundatus est enim (inquit) et ipse infirmitate, Fragilitate carnis inuestitur sicut cæteri hominum, per quam in peccata sæpe corruit. Ideo reliquorum infirmitatibus debet in consyderatione suarum condolere: ideo compati, φ ipsemet fragilis et ad peccandum etiam procliuis existat. Tu quoq; sæcularis et laice uiuito recte et catholice, præcepta dei simul et ecclesiæ synceriter obseruato: quibus obedierunt patres tui, et tu similiter obedito. Cunq; hæc omnia perimpleueritis, uiribus hijsce uestris nihil ascribite, sed gratiæ dei: præter hanc nihil existimate uos præstare posse. Multi tamen rudes et insulsi tunc temporis fuisse cupiunt quando passi sunt tot præclari Martyres, tunc fore quando nascetur Antychristus: quasi simile quiddam de se præstare potuerint aut præstaturi sint ipsi, tanq̃ ipsi ualerent ex se suisq; uiribus tot et tam magna tormenta, pœnas et martyria sustinere: q̃ sustinuere prius ulli martyrum.

Officium laicorum.

Temeraria quorundã præsumptio.

At o dementiam hominum, o temeritatem et stulticiam mirandam eorum qui ad suam nõ aduertunt infirmitatem, quæ citra dei gratiam nihil omnino bene poterit. Martyrium a deo stat totum, de te nihil. Ignoras ineptissime quid tũ persecutionis, quid intolerabilis tribulationis erit? Ignoras quid pollicitationũ erit eo tempore? quid minarum? quid terrorum et terribilium rerum? ignoras quanta diuitiarum, honorum atq; uoluptatũ oblatio? quoniam si uanis et impijs ipsius Antychristi uolũtatibus res una plene seruire nequeat: debeat altera profecto? Ignoras istanc fragilitatẽ tuam et infirmitatem, qua tũ pronior eris ad deum deserendum et ue-

dum et ue-

, dum, et ueritatem abiurandam q̄ protegendam Tunc erit temp⁹ Daniel.12.
, quale non fuit ex quo cæperunt esse homines. Qui nunc uanas
mundi diuitias uel habendi cupiditate uel amittendi timore tam
cito uinceris: an temporibus tantarum angustiarum stares inuic-
tus? Si tuam infirmitatem cum immensitate tormentorum incre-
dibili comparares, non tam imprudenter præoptares: sed ad de-
, um omnia referens, et nunc et semper diceres Ne derelinquas me Littera.
, domine deus meus, ne discesseris a me. Ne subtrahas mihi tuam
gratiam, sine qua uel bonum facere uel euitare malum nequeo: si-
L. ne auxilio tuo mereri est impossibile: cadere, perdi, damnariq; ne-
, cesse. Igitur INTENDE IN ADIVTORIVM ME- 23. Versus.
, VM DOMINE, deus salutis meæ. Quod in superiori uersu cę-
pit, in isto perficit. Superiori dominum instanter orauit ne se de-
relinqueret, ut non discederet, iutelligens quot se mala circūstent,
quantis uersetur in periculis, et quomodo non perire non possit
quisquis ab eo sit derelictus: in isto magis atq; magis instat, ut
sibi iugiter assistat: ut in adiutorium sui per spirituale solacium
intendat. Nouit enim, nouit: intus et in cute (quod aiunt) qui- Necessitas implorādi diuinum auxilium.
cunq; non desipit suo malo sæpissime perdiscit, q; hic inimici sui
se circumsepiant, q; omni tempore diabolus insidietur, mundus
aduersetur, et carnis fragilitas fenestram aperiat tentationibus?
et ideo solicite deprecatur ut omnipotens adiuuet infirmum, om-
niscius ignorantem: ut clæmentissimus opem ubiq; ferat et be-
nignam manum apponat alioqui perituris, ut liberet a tentatio-
nibus et angustijs, a periculis et infortunijs: ne perire sinat inqui-
ens Intende in adiutorium meum domine. Intende dicit, hoc
est inuigila mihi ouiculæ gregis tui, defende me a morsu luporū,
defende a mortiferis iaculis tentationum, ab incursu dæmonio-
rum, in omni necessitatis articulo me protege tuæ uirtutis admi-
niculo. Intende in adiutorium meum domine. Imminentia peri-
cula propheta perpendēs, suisq; meritis omnino diffidens, quod
solum ualere potuit, adiutorium dei prudens implorat. Quod
enim uiatori facit opera deducentis: id unicuiq; uiro protectio

dei dirigentis. Ambulanti per uiam ignotam dux et rector ad-
dendus: per non tutam custos et protector. At huius sæculi uia
per quam itur in Paradisum, periculosissima est. Opus igitur e-
unti duce et protectore. Duces Angeli sunt, protectrix dei gratia.
Sed quæ tam multa pericula sunt de quibus loquimur? Audi pro-
Psal.141. phetam In uia hac qua ambulabam, absconderunt superbi laque-
um mihi. Nomine superborum dæmones: laquei uero, mundi
fraudes, illecebras, tentationes et omnes malorum occasiones in-
Eccle.9. telligit: de quibus alibi Scriptura dicit Ignoras ꝙ in medio laque-
Expo. orum ingrederis? Quid est in medio laqueorum ingredi, nisi in-
Laquei nos undiq; circũdant. ter ambulandum in hac uita, inter ambulandum in uia CHRI-
STI utrinq; laqueis istis, utrinq; periculis circũcingi? Laquei a
dextris, et a sinistris laquei: a dextris blandiciæ, et terrores a sini-
stris. Laquei struuntur nobis in secundis, struuntur et in aduer-
sis rebus. Sic tu dum uiuis, dum ambulas in hac uita, in medio
laqueorum ingrederis: inter quos si tutus esse cupias, ab ipsa tu
uia CHRISTI ne recedas: illinc neq; te blanda promissio rapi-
at, neq; terror elidat. Ambulantem in hac uia mundus iste perse-
quetur; aduersitates, infortunia, molestiarum et iniuriarũ omne
genus: paupertas, odium, maledicta, conuicia, bella, mors etiam
ipsa prement: sed hac una re leuatus omnia perferet, omnia facile
peruadet: ꝙ CHRISTVS ambulans in eadem hæc omnia cal-
Iohis.15. carit, et post se uenturos ita consolatus fuerit Si mundus uos ode-
rit, mementote ꝙ me priorem uobis odio habuerit. S me perse-
cuti fuerint, et uos persequentur. Hæc omnia facient uobis prop-
ter nomen meum. Dicit ergo propheta Dum mens mea conuer-
titur ad te, dum parti tuæ studeo, dum sub te duce militare con-
tendo: me terribiliter hostis aggreditur, cuius insidijs circunclu-
sus, uictus, captus et oppressus sum; suggestionis impetu pertra-
ctus in peccatum, et ad incommoda quæ de peccato nascuntur.
Psal.141. Perijt fuga a me, non est qui eripiat, non est quo me recipiam
aut confugiam: nisi tu me domine deus adiutes. Igitur intende
in adiuto-

, in adiutorium meũ domine. Quia multi bellantes aduersum me, Psal. 55.
Videlicet mundi uanitas et illusio, titillatio carnis et nequitia, malignitas et astutia diaboli. Mundani, carnales, dæmones et diabolici contra me depugnant. De primis enim CHRISTVS affirmat In mundo pressuram habebitis. Quis (oro) uel hodiernas in mundo pressuras (ut sileam de præteritis) quis aduersitates, perturbatiões, frequentes, multiplices et nouas infirmitates: quis omnia mala quibus magis atq; magis indies opprimimur, enumerare poterit? De secundis Apostolus, Caro concupiscit aduersus spiritum. Prauas carnis motiones et carnalium impietates, non longum tempus sufficeret ut plene quis enarret. Petrus de tercijs nos omnes admonet ut diligenter et acute caueamus Fratres (inquiens) sobrij estote et uigilate, quoniã aduersarius uester diabolus circuit die ac nocte, quærens quẽ deuoret. Circuit ipse, circueũt dæmones et maligni spiritus, si quẽ forte capiãt, irretiant, aut illaqueent. Circueũt quærentes Non quẽ mordeant, nõ quem frangant, sed (quod multo deterius est) quærũt quẽ deuorent: quẽ in imũ usq; barathrũ pertrahentes igneis suis chiragris exagitent dilacerent et discerpant. Diabolus inquã circuit, sicut hostis muros et clausas fores circuire solet: explorans partẽ aliquã infirmiorem, qua machinas aduoluẽs intro penetret. Scrutat̃ itaq; diabolus imbecilliores partes hoim, per quas ad animã astute subintret: et quas uiribus opprimere nõ potest, illectamentis ad se uocat. Oculis formas offert aspectu delectabiles, ut castitatẽ auferat: dulcedinẽ sonorã auribus, ut uirtus earũ emollescat: tactui molliciem suauitatemq; carnalẽ, ut sanitas animi et uigor totius hois euanescat: linguam conuitijs imbuit, ut manus ad uindictã, ad inferendam sæpe mortem prouocet: terrenos pollicetur honores, ut cœlestes adimat: paupertatum et miseriarum cumulum immittit, ut ad deum abnegandum instiget. Carnem inflammat, appetitum acuit, seducit et illudit rationem: uoluntatem inficit, desyderiũ malũ inurit, sensus oies corrũpit, intellectum confundit, uirtutem opprimit et

Quomodo tres hostes hominem inuadant.
Iohis. 16.
Galath. 5.
1. Petri. 5.
Expo.

mit et operationem perfectam extinguit. Cunq; latenter imponere et fallere non possit, ad minas et terrores accurret: in pace subdolus, in persecutione uiolentus: contra quem sic est armanda mens hominis, ut tam parata sit ad resistendū, q̄ est ille promptus ad impugnandum. Non est potestas in terra quæ comparetur ei, dicit Iob. Sola dei potestas, potestatem eius euacuat. Neq; quicq̄ potest, nisi quod deus ipsi ꝑmittit. De potestate uero quam suscepit inter homines, scribitur in Apocalypsi Væ terræ et mari, quia descendit diabolus cum potestate magna. Magna potestas eius est, magna quidem: partim in se, partim ob multitudinem dæmonum quam secum ubiq; deportat: quæ tot laqueis et muscipulis, tam uarijs tentationum insidijs in cor hominum irrepit ac assultat, ut nisi deus manum interponat, non sit qui resistere possit. Hic primæuos parentes Adamum et Euam naturæ dotibus omniquaq; coornatos, astute priuauit omnibus: et e summo loco ueræ uoluptatis, deiecit in hanc uallem miseriarum. Hic Caynum incitauit ad fundendum Abelis sanguinem. Hic eam uiciositatem mundo persuasit: propter quam deus illum diluuio censuit abolendum. Hic Sodomitas et Gomorrẹos in eam abhominationem illexit: per quam deus ciuitates eorum incendio consumpsit. Hic est qui Noe posteros ad eam pellexit insaniam, ut arcem in cœlum usq; protenderent, uel ut obstarent diuinæ uolūtati siquando cathaclismum rursus immitteret, uel ut nomina sua celebrarent in orbe uniuerso: sed superbos et dæmentes horum conatus immutatis et uariegatis linguis deus ita confudit, ut in hodiernum diem confusionis nomen operi remanserit. Hic Phutipharis uxorem in amorem Iosephi primum inflammauit: mox effecit ut ab eo refutata condemnare cuperet in carceremq; accusando mitti faceret, quo non poterat abuti. Hic corda duorum sacerdotum seniorum in castissimæ Susannæ desyderium accendit, qui cum potiri non possent, in eam coram se uocatam falsisq; testimonijs traductam, tulerunt iniquissimam sententiam: a qua deus eam

[Margin notes: Iob.41. — Diaboli magna potestas. — Apoca.12. — Gene.3. — Ibidem.4. — Ibidem.7. — Ibidem.19 — Ibidem.11. — Ibidē.39. — Daniel.13.]

deus eam mirifice per Danielem liberauit, et presbyteros infames eidem condemnationi subiecit. Hic Iudam impulit, ut dominum suum impijssime proderet: et Iudæos, ut eundem condemnatum crucifigerent. Hic in mundum intulit omnia mala, septem peccata capitalia cum ramis eorum, neglectum præceptorum dei, piorum operum omissionem, abusum donorum sanctispiritus: hic illa carnis opera persuasit hominibus quæ recitat Apostolus Fornicationem, immundiciã, impudiciciam, luxuriam, idololatriam, ueneficia, inijmicicias, contentiones, emulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, homicidia, ebrietates, commessationes: quæ quidem omnia sectatores suos a regno cœlorum excludunt. Hec enim et hijs similia qui faciunt, regnum dei non possidebunt, inquit Apostolus. Oh quantum ibi periculum intercedit, ubi de iactura agitur regni cœlorum? Dum sumus in mundo quottidie uersamur in hijs periculis: uersamur (ut de se Paulus asserit) in periculis itinerum, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. Quocunq; uertimus, in periculum aliquod semper incidimus: quocunq; aspicimus, periculum inuenimus: ubicunq; uiuimus, in periculis uitam agimus: quibuscunq; consilijs res et uota nostra disponimus, ad pericula deuenimus. Nec in periculis solum, sed et in medijs inuoluimur angustijs, in laboribus et erumnis, in uigilijs et ieiunijs multis, in fame et siti, frigore et nuditate: præter ea quæ intrinsecus sunt. Quanta instantia nostra et solicitudo quottidiana, qua (si boni simus) compatimur infirmioribus, in scandalisatis urimur, et pauperioribus miserescimus? Hæc in sese propheta perpendens, qualiter inter hæc omnia difficillime cauere possit a deuiando, sed nec ullo modo possit, nisi deus singulare præsidium adhibeat: diffisus omnino suis uiribus adiutorium eius inclamat, inquiens Intende in adiutorium meum domine deus, Sequitur, deus salutis meæ. Deum salutis appellat, a quo salutem

Matth. 26.
Galath. 5.
Pericula in quib9 hic uersamur.
2. Cori. 11.
Ibidem.
Littera.

Bona omnia et gra prouenjunt. lutem suam et fœlicitatem omnem pendere cognouit: sicut illic
Iohis. 15. ipse confirmat Sine me nihil potestis facere. Sine gratia dei,
Expo. nullum prorsus siue uolendo siue agendo faciunt homines bonū.
August. Non potest homo aliquid boni uelle, nisi iuuetur ab eo qui malū non potest uelle, dicit Augustinus. Idem affirmans Apostolus ait
2. Cori. 3. Non sufficiētes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis sit, sed omnis sufficientia nostra ex deo est. Vnde dilucidissimū atq; euidentissimum euadit neminem mereri posse, bene aut prudenter agere, nisi deus per gratiam aspiret: quam utiq; propheta supN.
Littera. pliciter hic exorat Intende in adiutorium meū domine deus. Animaduerte quomodo dominū deū uocet, cuius absoluta beneficia memorat, non sua benefacta. Sane dicere uidetur Audacter adiutorium a te peto, qui multa maiora mihi præstitisti: adiutorium ego flagito quem creasti, quem ratione donasti, cui tui similitudinem indidisti, quem preciosissimo sanguine redemisti, quem sæpissime cadentem erexisti, cui patrem CHRISTE IESV reconciliasti, cui peccata cuncta remisisti, quem gratia tua præueniens in eadem conseruasti, quem a spiritualibus toties inimicis protexisti, quem a malo præseruans in bono confirmasti. Cum dominum uocaret, hæc omnia multoq; plura denotauit. Domine deus inquit, Dominum dixit ut humanitatem, deum ut diuinitatem eius ostenderet: dominum, animæ suæ precium: deum seruatorem mūdi: dominū redemptorem, deum creatorē: dominum sui protectorem, deum æternæ gloriæ largitorem apellauit.
Littera. Deus salutis inquit, salutis æternæ: quoniam ipse salus est omnium. Ipse singulis dat salutem æternam, qui uirtute contendunt ad
Solus deus reges facit. eandem. Salutem præstat temporalem, salutem præstat corporalem, et salutem spiritualem. Temporalem ibi dare signatur
Psal. 143. Qui dat salutem regibus. An solis præstat eam regibus? Nequaq̄, sed indifferenter omnibus: qui non suis a se meritis eam excludunt. Ipse suscitat a terra inopem, et de stercore erigit paupe-
Psal. 112. rem: ut collocet eum cum principibus, ut cum principibus populi sui

, li sui solium gloriæ teneat. Dominus erigit elisos, Deponit po= Psal.145.
, tentes et exaltat humiles. Diuites dimittit inanes, et ditat paupe=
, res. Qui se humiliat, illum exaltat: et qui se exaltat, ipse humiliat. Luce.1.
Quis te homo de terra terrestris, regem: quis reginam, quis te do=
minum aut dominam, quis potentem te effecit? Quis oro Daui=
da regem inunxit? Audi confitentem ipsum, et tu cum ipso cō=
, fitere. Elegit me dominus deus Israel, ut essem rex. Quis inter 1.Para.25
plures et seniores filios Dauidis Solomonem in regno constitu=
ens, firmauit in solio? Audi ueridicam Reginam Saba, quæ ueni= 2. Para. 9.
ens ad audiendam sapientiam Solomonis, cum maiestatem, pru=
dentiam, regalitatem, honores et diuitias eius, ministrantium
ordines, aulæq; totius eximium splendorem, et templi structu=
ram decus atq; ornatum uidisset: in hijs stupefacta dixit Sit do= Ibidem.
minus deus benedictus, qui uoluit te ordinare in regem. Perlege Deus bonos exaltat, et ma los deprimit.
uetus instrumētum simul et nouum: et inuenies reges a deo sem=
O. per institutos et in regno stabilitos. Ipse uocat, ipse eligit et con=
, firmat: ipse sublimat, ducit et conseruat Per me (inquiens) reges Prou.8.
regnant. Sed et ecōtrario malos ac sceleratos, si qui sint: ipse pre=
mit regnoq; depriuat. Tradit impios in manus iustorum: dum
pios usq; defendit, erigit et consolidat. Mosen exaltans, deposuit
mirifice Pharaonem. Exaltato Iosue, dedit in manus Hierico et
regem eius. Q; hæc et quæ consequenter fecerit, deus illi dede=
, rit: ipse manifestans ait Ecce tradidi in manum tuam regem Hay Iosue.8.
, et populum, urbemq; et terram. Nimirum Iabin rex Asor, Iobab Ibidem.11.
, rex Madian, rex Semeon, rex Acsaph, et reges Aquilonis qui ha=
, bitabant in montanis atq; in plamicie contra meridiem Ceme=
, roth, in campestribus quoq; et regionibus Dor, iuxta mare Cha=
, naneum quoq; et ab oriente atq; occidente, Amorreorum reges,
, atq; Etheus, Pherezeus et Iebuseus in montanis, Eueus quoq;
, qui habitabat ad radices Hermon: in terra Maspha conuenerunt
, omnes ad aquas Meron ut pugnarent contra Israel, dixitq; inte=
, rim Iosue dominus Ne timeas eos, cras ego tradam omnes istos
uulneran=

uulnerandos in conspectu Israel. Et sequitur Tradidit illos dominus in manus Israel, qui percusserunt eos ita ut nullas dimiserint ex eis reliquias, Et cæpit Asor et regem eius percussit gladio et uastauit Iosue omnia, et ciuitates omnes per circuitum incendio deleuit, regesq; eorum cæpit, percussit atq; peremit. Sed quid hijs immoror? Percurre totam (ut dixi) Scripturam, lege Penthateucum, Iosue, librum Iudicum, Regum, Paralypomenon, Iudyth, Hester, ac omnes prophetas: et ubiq; uidebis exaltatos bonos, ubiq; uidebis malos deiectos. Videbis Mosen, Iosue, Dauidem, Solomonem (de quibus ante diximus) Iosephum, Danielem, Susannam, tres pueros aliosq; persimiles: aut in duces atq; reges sublimatos, aut coram regibus et principibus glorificatos.

Daniel. 5. Pharaonem contra, Balthasarum, Nabuchodonosorum et reliquos huiuscemodi, turpiter a maiestate magnificentiaq; sua depulsos.

Daniel. 4. Nabuchodonosorus qui supra homines efferri uoluit, et ad deos referri: adeo cecidit ut non a rege solum ad conditionem pauperis, sed et ab homine descenderit in brutum, fœnum ut Bos comedens. Præterea multos principes excellentissimos quos ad tantos honores euexerat, quamdiu bene uixerunt et secundum uocationem qua uocati fuerant, tutatus est et florere fecit: ubi uero delapsi sunt recedentes a dei cultu, nec quæ spectabant ad eum diligenter exequentes, abiecit eos: prostrauit, deleuit, et ad inferos usq; detrusit. Sed ita moramur in regibus tanq̃ Scriptura (quã diximus) ad hos solos attineret. Diximus autem alijs etiam conuenire, et recte diximus. Nam quæcunq; possident, quæ laboribus, quæ principum et magnatum fauoribus acquiruntur, fundus, supellex, omnia quæ corpus seruant nutriunt et exornant: ingenium, sapientia, scientia, uirtus cætercq; dotes animi tribuuntur a deo.

1. Cori. 4. Quid enim (inquit) habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Gnatus es, Cæsaris, regis, principis, sublimis domini. Quis non dicet authorem huius natiuitatis esse deum? Dedit deus ut filius regis,

filius du-

filius ducis esses, Marchionis; filius comitis, Baronis, equitis au=
rati, nobilis et generosi: filius opulenti præclariq; mercatoris, fi=
lius diuitis et sibi sufficientis agricolæ. Quicquid uel habent isti
quod tibi relinquant, uel tu relictum ab eis accipis; quicquid alia
ratione quacūq; tuæ sorti cedit, dedit deus. Salutem ergo et pro=
speritatem temporalem undiquaq; tribuit, tribuit et corporalem:
, de qua scribitur in Euangelio Omnis turba quærebat eum tan= Luce.6.
, gere, quia uirtus exibat de illo et sanabat omnes. Mulier duode= Matth.9.
, cenni sanguinis fluxu laborans quæ in medicos erogauerat om=
, nem substantiam nec ab ullo poterat curari, si tantum tetigero Salus tam
, fimbriam uestimenti illius (inquit) ero salua, et continuo sanata animę q̄ cor=
, est. Homines regionum illarum in quibus erat, obtulerunt ei om poris a deo ꝑ
nes male habentes, et rogabant ut uel fimbriam uestimenti illius ficiscitur.
tangerent: et quicunq; tetigerunt, salui facti sunt. Circuiens ci=
uitates et castella, curauit omnem langorem et infirmitatem in po=
pulo. Vt de ueteri testamento nihil dicam: si perlegeris euan=
gelium, inuenies quomodo multos sæpe curauit infirmos: quo=
modo cæcis uisum, surdis auditum, claudis gressum, mutis lo=
quelam, leprosis mundiciem, mortuis uitam restituerit: quomo=
do dæmoniacos et arrepticios a dæmonio liberarit, quemadmo=
dum spiritus eiecerit uerbo: immo qualiter infirmitates ipse no=
, stras acceperit et ægrotationes portarit. Sanat omnes infirmita= Psal.102.
, tes tuas, inquit alibi propheta. Sanat quia potens est quicquid
est infirmum sanare, quicquid amissum et corruptum recuperare:
sanat ultro, quia uult omnes homines saluos fieri. Sicut aqua sca=
turit abundanter e fonte, abiens in prægrandes riuos: sic e diuina
bonitate fluunt indesinenter uirtutes ac riuuli sanitatum. Qui=
, bus plebs (cū uidisset) commouefacta dicebat Surrexit inter nos Luce.7.
, propheta magnus Hic est uere propheta qui uenturus est in Iohis.6.
, mundum Hic est saluator mundi. Neq; solus ipse curauit abū= Iohis.4.
, de: sed discipulis etiam dedit curandi uirtutem, et potestatem fe= Virtus sanan
cit ut eijcerent spiritus immundos et sanarent omnem langorem di scis a deo
concessa.

et infirmi=

Matth.10. et infirmitatem, dicens Infirmos curate, leprosos mundate, mor-
tuos suscitate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date.
Luce.10. Dedit inde uirtutem eandem septuaginta duobus Si qua ciui-
tas (inquiens) uos acceperit: curate infirmos qui in ea sunt. Sic
Petrus umbra corporis, Paulus uestimento curauit infirmos: sic
omnes, quotquot abhinc eandem dei uirtutem acceperunt. Nec
enim eo solum tempore, sed deinceps, sed et hodie uirtutes ope-
rantur in multis electis a deo: dum multi curantur a uarijs infir-
mitatibus in locis sanctis et deo dedicatis, coram imaginibus
acceptis et deo gratis: in ædificationem Ecclesiæ, in robur fidei,
in Christianorum auxilia, in dei laudem, gloriam et honorem.
Marci ul. Quicunque (dicit CHRISTVS) crediderint, dæmonia eijci-
ent: super ægros manus imponent et bene habebunt. Nec cor-
pus tantum, uerumetiam sanat animam: non solam corpora-
Matth.1. lem, sed spiritualem etiam sanitatem tribuit. Ipse enim (ut pro-
misit Angelus) saluum faciet populum suum a peccatis eorum
1. Timo.2. A peccatis, Ipse enim peccata remittit, Vult omnes homines
Luce.5. saluos fieri et ad agnitionem ueritatis uenire. Quis remittit
peccatum, nisi solus deus? Remittit ergo deus. Quod autem re-
mittere possit et animam sanare, per id quod sanitatem corpori
tribuat probans edocuit: blasphemanti Scribæ sic respondens
Quid est facilius dicere Remittuntur tibi peccata: an dicere,
Surge et ambula? Vt autem sciatis quod filius hominis habeat,
potestatem in terra remittendi peccata, ait Paralytico: Surge,
et ambula. Et surgens abijt ipse solus, qui manibus aliorum,
portatus aduenerat. Hæc dixit et fecit ut ostenderet unius et
eiusdem artificis esse sanitatem animæ corporique conferre, con-
ferre inquam per se uirtuteque propria. Quæ sunt hominibus
difficillima, quæ nullo modo per se possunt homines: deo sunt
Luce.1. facilia, deo nihil impossibile Non est impossibe apud deum
Psal.148. omne uerbum Ipse dixit et facta sunt omnia Sanauit ipse
Matth.8. uerbo, Tantum dic uerbo et sanabitur puer meus (inquit
Centurio)

Centurio) Sanauit corpore et omni parte corporis, sanauit indumento. Manu tangens, sanauit leprosum, Ore Mattheum, ore Petrum, Andream, Iacobum et Ioannem, ore Philippum: quos ad se uocans, uocans in singularem suam gratiam, e piscatoribus et mundanis artificibus diuinos præcones effecit. Oculo quoq; Petrum respiciendo curauit in atrio, curauit animam eius peccatricem: qua negando desciuerat a domino. Sanauit pedibus Mariam Magdalenam: quorum tactu resipuit illa, uitæq; turpitudinem abijciens facta est pijssima. Facie, dum socrum Petri aspiciens, obumbrans et tangens, liberauit ab acutissima febri. Voce quoq; et lingua sanauit filiam Archysynagogi in ædibus paternis: uiduæ filium in feretro, Lazarum in monumento. Neq; solum corporis sui partibus: sed hijs quoq; quæ manant e corpore, sed uestimentis sæpe sanauit. Sputo sanauit cœcum natum: quando oculos eius illo liniuit. Sudore sanauit eam, cuius sudario uultus imaginem impressit. Hemorrhoyssam et alios complures (uti diximus) uestimenti fimbria sanitati restituit. Sanauit animas infinitæ multitudinis, hæc ab eo facta miracula intuentis. Vndequaq; sanandi uirtus exijt ab illo: nec adhuc exire desinit ad eos omnes qui reuerenter, qui pie et sancte confugiunt ad eum. Quam ob rem cum propheta clamemus ad hunc deum salutis, clamemus Intende in adiutorium meum domine deus salutis meæ: pie clamemus atq; iugiter: et ipse nos exaudiet. Sic propheta supplicabat ut continuum ipse sibi præstaret auxilium, qui continue pugnans indigeret eodem. Principium autem uersus huius in exordijs horarum omnium ritus Ecclesiæ collocat, quod illic orantes muniendi sint aduersum tentationes: et quod aduersus easdem, aduersus omnes aduersitates, aduersus omnia mala hoc inijtium singularem habeat efficaciam. Per quam propheta salutem corporis et animæ suppliciter expectat in illa saltem ciuitate,

Christus corpore, voce, et indumentis sanauit.

Littera.

ciuitate, ubi deus erit ei omnia, omne bonum omnibus:
erit lumen, panis uiuus, ampla merces, coroną
splendescens: erit uita et perenne gau=
dium: quod nobis ipse
concedat Amen.

Deo gratia.

Dñs dedit.



